

807/2021/432

52 Py - P 10

STUDI E TESTI

398

ENEE SILVII PICCOLOMINEI

postea

PII PP · II

DE EVROPA

edidit

commentarioque instruxit

ADRIANVS VAN HECK



Raffaello Sanzio, *Scuola di Atene*, particolare: Tolomeo di spalle. Musei Vaticani.

CITTÀ DEL VATICANO
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
2001

Pius PP. II, 1405-1464

Enee Silvii Piccolominei postea Pii PP. II De Europa / edidit commentarioque instruxit Adrianus van Heck. – Città del Vaticano : Biblioteca apostolica vaticana, 2001.

313 p., 5 c. di tav. : ant. (ritr. color.), ill., ritr., facs. ; 26 cm. – (Studi e testi ; 398)
Comprende riferimenti bibliografici. – «Index nominum»: pp. 277-313.

I. Heck, Adrianus van, 1923 - II. Pius PP. II, 1405-1464. De Europa

ISBN 88-210-0707-3

ISBN 88-210-0707-3

Proprietà letteraria riservata
© BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA, 2001

PROLEGOMENA

1. EVROPAM, quam et qualem Aeneas Silivius Piccolomineus descripsit, libens lectoribus studiosis praesento. scriptus est liber anno 1458 paulo antequam auctor papa electus est.

2. Sicuti nostris temporibus, ita et in diebus illis uox Europae multis in ore erat: cum nostratibus tum maxime Aeneae aequalibus consensus erat atque unitas, quae omnibus ante oculos adpetenda obuersabantur: nos quidem imaginem unitatis potius oeconomicae mente concepimus, illis autem unitas politica summe expetenda erat; arma enim gentilia Europae christianae minabantur. adiuratione igitur diuini nominis Turci impii coniunctis uiribus expellendi ac fugandi erant. neque tunc ulla cura maior erat quam ut uiri europaei uniti excitarentur ad Turcos impios tamquam non christianos debellandos.

Calixtus papa III, Aeneae antecessor in Cathedra Petri, die 29 mensis iunii anni 1456 iussit, ut singulis diebus hora meridiana ecclesiarum campanae pulsarentur, quibus christifideles inuitarentur ad preces pro salute orbis christiani fundendas. Aeneas ipse, uix Pius papa factus, sibi eandem curam esse professus est (*Comm. 113,10*): undecumque principes europaeos Mantuam conuocauit, consuluit, monuit; expeditionem sacram, cui ipse praeesse uoluit, indixit: *'Nimia est inter orbis nostri rectores somnolentia'* (*OO 654F*). Iuit, Urbem et Sanctum Petrum reliquit, Anconam uenit, mare et classem sociam uidit, in caelum auolauit Europam relinquens uiduam.

3. Notionem Europae maximi momenti fuisse in mente animoque Pii uerba declarant ipsius, cum dixit, postquam nuntius ille de clade constantinopolitana sibi allatus est: *'Nunc in Europa, id est in patria, in domo propria, in sede nostra percussi cesique sumus'* (*OO 678F*). alias ingemiscit Deum inuocans: *'Da nobis uictoriam de tuis hostibus, ut tandem recuperata Grecia per totam Europam dignas tibi cantemus laudes tibi que perpetuo seruiamus'* (*OO 923C*). uox Europae ei idem sonat atque christianitatis ac humanitatis, quae duae notiones sibi inuicem obuiam euntes in unumque concurrentes mundum, ut ita dicam, pium constituunt; uox Asiae ei contraria est, in quantum significat mundum turcicum, mundum impium, ubi Christus non colitur, non adoratur. inito pontificatu carmen condidit, quod inscripsit *In Mahumetem perfidum Turchorum regem, cuius initium est: 'Turche, paras alte subuertere menia Rome et Christi legem perdere posse putas. at Pius it contra'* (*Carm. 101*). qui uersus docent Pium iam cogitatione praecipere post urbem Constan-

tinopolitanam Romam ipsam, sedem christianitatis, ideoque Europae petitum iri; uim defensionis proficisci debere a sede apostolica. *'Precisus est fluuius omnium doctrinarum, musarum desiccatus fons'* (OO 705B). captam Constantinopolim christianorum dedecus habet (v. 2121), *'christianorum desidiæ atque ignauie memoriale perpetuum'* (v. 8352).

4. Non est ergo quod miremur Pium interius deuotum, doctum exterius, librum primo de Europa, post de Asia scripsisse, ut studia hominum sui aevi uniret, excitaret, confirmaret. sed concepit, scripsit etiam, anno 1461, epistulam *'ad illustrissimum Mahumetem Turcorum principem,'* cuius autographon adhuc magna ex parte extat in Bibliotheca Apostolica Vaticana (Vat. Lat. 7082), qua clare profitetur non genus esse Turcorum, sed ipsorum cultum, quem se debellaturum sperat. uideamus uerba ipsius: *'Si uis inter christianos tuum imperium propagare et nomen tuum quam gloriosum efficere, non auro, non armis, non exercitibus, non classibus opus est. parua res omnium, qui hodie uiuunt, maximum et potentissimum et clarissimum te reddere potest. queris que sit? aque paxillum, quo baptizeris, et ad christianorum sacra te conferas et credas euangelio. nos te Grecorum et Orientis imperatorem appellabimus. erit erga te charitas Prime Sedis, que in ceteros reges, et tanto maior, quanto eris ipse sublimior'* (OO 874F).

5. Editoris non est argumentum scribere eius rei, de qua liber, quem foras dat, agit: tum magna est Europae neque unius libri historia. accedunt res geographicae etiam peritis satis perplexae, sicut et Pius confessus est, ut infra (§ 12) dicetur. bene autem euenit quod uir doctus Nicola Casella nobis auxilio est commentatione, quae inscribitur *'Pio II tra Geografia e Storia: La «Cosmographia»'*.¹

Quem nos De Europa uocare solemus liber in codicibus manuscriptis, quorum pauci sunt qui operis inscriptionem dant, *'Gesta sub Federico III'*, *'De gestis sub Friderico III'* inscribitur; titulus *De Europa* apparet primum in editionibus impressis, ut Memmingen 1490, Venetiis 1501, Parisiis 1509. ipse uero Aeneas in libro uulgo *De Asia* lectorem admonet (OO 308D) ut uideat, quae de Gothis *'inter res europeas'* dicenda sint.

6. Dies dedicationis libri ad Antonium cardinalem Hilerdensem, a. d. IV Kal. Apr. 1458, ambiguitatem quandam affert. bis enim (v. 2202; 4153) — sed non in descriptione rerum italicarum — lector delegatur ad *Historiam Bohemicam*, quam constat Pium ad finem perduxisse post mortem Alfonsi regis Aragonum, cui dedicata fuerat: *Historiam Bohemicam conscripsit atque Alfonso dedicauit omine non bono; prius enim ille e uita excessit quam Historia finiretur'* (Comm. 96,33). Atqui Alfonsus

¹ Arch. d. Soc. rom. di Storia patria (A. XCV), 1972, III Serie, vol. XXVI, pp. 35-112.

mortuus est die 27 iunii 1458. quomodo his dictis lector operis mense martio perfecti notitiam habere potest rerum etiam tunc mense iunio proximo publicandarum? haec quaestio subdifficilis adhuc non satis explicata est. alius aliud coniecit. mihi confugiendum uidetur ad modum compositionis libri, qui constat, ut infra (§ 10) dicetur, ex partibus uariis temporibus — et nescio an non *Historia Bohemica* iam inchoata — scriptis. cf. ad 4583.

7. *Narrationem* uocat (v. 77) Aeneas scribendi genus huius libri; quae uox, si non omnia me fallunt, satis rara est in eius operibus. narratio autem proprie partem artis oratoriae declarat, quae apud antiquos definitur *'rerum gestarum aut proinde ut gestarum expositio; quae sit breuis, dilucida, ueri similis'*.² et alibi legimus: *'nihil est in historia pura et illustri breuitate dulcius'*.³ mira est congruentia huius definitionis cum praefatione: *que gesta feruntur, quam breuissime'* (v. 67-69). de breuitate autem huius libri nouiens loquitur Aeneas (v. comm. ad v. 11); congruit cum *'operis instituto'* (v. 2461; 7672), *'propositi'* (v. 4043); est etiam locus, in quo conscius est se temporis modum excessisse (v. 9417).

8. Qui studiosi et, ut ita dicam, amatores sunt Pii operum delectantur ingenio et arte reuerendi auctoris, qui uelut magus omnibus rebus, quas narratione dignas putabat, eloquentia nunquam inflata, semper subtili et accurata, cum splendorem tum momentum dedit ita, ut mentibus legentium uere inhaerent. ipse de genere suo scribendi locutus est in epistula data ad cardinalem cracouiensem Sbigneum Olesnicki, in qua agitur de studiis humanitatis. dicit: *'Nudus sum, aperte loquor, non utor phaleris, uestem omnem reicio'* (W III,319). quae professio indicat eum Commentarios caesarianos orationis formam habere; de eis enim ipse Cicero dicit *'Nudi sunt, recti, omni ornatu orationis tamquam ueste detracta'*.⁴

9. Saepius Pius confessus est sibi tempus et otium defuisse, quo scripta sua limaret, uestiret elegantia: *'nocturnos esse suos labores'*.⁵ et alibi: *'etsi uera scribimus, digna tamen atque indigna referimus et elegantiarum expertes indigestam et rudem teximus historiam. alius olim fortasse inuentionibus nostris lucem dabit'* (v. 8258). attamen etiam in hoc nostro opere hic illic oratio ornatior est. admirationem mouet inter alia figura, quam caesuram uocamus, saepius apparens, qualis *'canibus obiecta et suis'* (v. 2112), *'doctrina ostendit et uiri religio'* (v. 3468). neque deest

² CICERO, *Inv.* 1.19,27; *de Or.* 2.19,80.

³ *Id.*, *Brut.* 262.

⁴ *Ibid.*

⁵ OO 281 C; v. Praef. operis, p. 17.

figura illa gradationis, qualis 'uicit, fudit, deleuit.' rerum genuensium confusionem uerborum ambitu complicato depingit (v. 6203-10); Amedei ducis lentam ascensionem ad papatum infinita uerborum series illustrat (v. 5423-31); cf. quae dicit de Alvaro (6091-6100); etiam descriptio aciei turcicae digna est quam admiremur (v. 1800); item quomodo Vlricum Cilie depingit (v. 650). non semel legentium animos ad uerborum etymologiam cognoscendam mouet (v. ad v. 943; 1221; 5233).

10. Ordinem, quo capita leguntur, eundem fuisse ac quo scripta sunt, minime constat, immo negare ausim; magis adducor, ut credam quae separatim concepta sunt post in unum corpus composita fuisse. ad quid enim attinet, ut exemplum afferam, iterare 'quem Labacum hodie appellari putauerim' (v. 2621) et breui post 'qui Labacus hodie appellatur?' (v. 2644), porro quid sibi uult illud 'uero?' (v. 7655). cui rei opponitur? tum illa transitio 'festinamus... Acarnania' (v. 2462-64) probare uidetur v. 2464-72 scriptos fuisse antequam v. 2460-62 litteris mandarentur.

Bis lector delegatur ad expositionem, quam frustra perquirat: non enim datur; sicuti ubi sermo est de ducatu Gelriae (v. 4357), deque naue Genuana petenti (v. 9316). verisimile igitur est Pio occupationibus pontificatus impedito horas defuisse, quibus librum antequam ederet maiore cura ac diligentia retractaret.

11. Series qua Europae regiones — Italia excepta — in medium proferuntur, incipit ab Hungaria, quae in diebus illis scena ac theatrum fuit, ubi rerum fortuna uersabatur: 'Hungaria murus christiane religionis et nostre fidei solidus paries' (W II,24); ab oriente in occidentem deducitur: circuitionis ultima Portugalia est, sicuti primo aspectu e Conspectu Capitulorum (p. 21) patet. quae sequitur Italia non ut regio tractatur: enumerantur urbes singulae a Mediolano usque ad Neapolim.

12. Geographiae ipsi, ui et sensu uocis stricto Aeneas in hoc opere locum tantum exiguum concessit: adhibet, ut 'historiam dilucidiosem' faciat (v. 1268). disertis uerbis dicit 'non sui propositi fuisse, ut geographiam ederet.' fatetur se 'satis multas historias legisse cosmographiam quoque perscrutatam esse' (W I.1,179). Poggius ille Bracciolini commemorat Pium papam, Cosmum Medicum et Nicolaum de Niccolis simul incuruis humeris chartas geographicas Ptolemaei studiosius legere et intueri.⁶ regionum descriptionem difficillimam esse propter finium confusionem uel mutationem frequentem dominantium quater⁷ Pius auctor declarat.

⁶ NUMA BROC, *La Geografia del Rinascimento*, a cura di Claudio Greppi, Ferrara (1989) p. 122.

⁷ v. 1252; 2592; 3814; 4352.

13. Fontes ad rerum cognitionem adhibuit graecos Strabonem et Ptolemaeum (semper Ptolomeum scribit), latinos Plinium (Maiorem), Iustinum, Iulium Solinum, Nepotem, Pomponium Melam, Isidorum Hispalensem, Iordanem, Isidorum Characenum. Recentiores nominat Aethicum Istricum, Ottonem Frisingensem, Nicolaum Sagundinum. Strabo ei familiaris fuit ex interpretatione Guarrini Veronensis ex codice Vaticano Latino 2050 (*Comm.* 343,26); Ptolemaei opera cognouit ex uersione Iacobi Angeli (Cod. Vat. Lat. 2974; v. tab. 4). sicubi ipse fontem nominat, in commentario auctorem et locum notauit; quae autem ex fontibus ad litteram hausit, litteris inclinatis indicaui.

14. Persaepe Pius quae in opere ante edito scripserat in alio repetit, nonnumquam uerbis isdem, ita ut fieri non possit, quin credamus eum scribentem chartas, schedas et folia priora ante oculos habuisse. libet hic nonnulla exempla ex libro De Europa afferre, et quidem a) maioris ambitus b) minoris ambitus.

ad a) v. 4340-45 Veritum... donauit = Germ. 65,28; v. 4990-5008 Ab ipsa pueritia... eum = Germ. 63,26; v. 5338-49 ingentemque... expetiere = *Comm.* 394,13 sqq; v. 5692-5816 insalutato... facta est = *Comm.* 393,11 sqq; v. 7062-7118 in agro... dimisso = *Comm.* 373,20 sqq; v. 1426-35 ut... quotannis = AS 307B; v. 1463 Nicolaus Sagundinus etc. = AS 307C; v. 4625-4792 Franci... filium = Dial. 757A.

ad b) v. 250 uerum ego per superos iuro = Vir. 47,5; v. 309 magno reipublice malo = HB 102E = v. 370; v. 775 Dominicum ad se corpus deferri = HB 139B = v. 817; v. 1322 sed uicit obstinatio uulgi ut = *Comm.* 113,19 = v. 1337; v. 2222 quin mentum barbamque demulcens = Germ. 20,10 = v. 2225; v. 3151 nisi armato potentiorique = HB 90E = v. 3162; v. 5312 Suicenses montani et feroces populi = *Comm.* 158,13 = v. 5321; v. 7447 Vrbs Sena unde mihi origo est = W I.1,355.

15. Cuique scriptori proprium est orationis genus; et Aeneae orationi insunt quaedam singularia. in libro De Europa inter alia memoranda sunt:

1) uerba, quae grammatici deponentia uocare solemus, adhibet etiam sensu passiuo: 'exequatur' (v. 2302); 'interlabitur' (v. 4943; cf. 4949: intersectum).

2) uerbis intransitiuis sensum transitium dare non ueretur: septentrione 'decurso' (v. 6194); rex 'aditus est' (v. 7264).

3) omittit pronomen personale reflexiuum personae tertiae: 'matrone' <se> 'seruituras uiris uouent' (v. 2569); 'uouisse' <se> 'liberos consecraturum' (v. 5827); 'putans' <se> 'deterere' (v. 5955).

4) omittit casum obliquum pronominis relatiui (v. 1086).

5) pronomen *uter* ignoratur: 'quem uellet' (v. 3668).

6) coniunctio *quamuis* recipit etiam modum indicatiuum: 'quamuis complexa est' (v. 85); item vv. 151; 674; 1432 etc. idem dicendum est de *licet*: 'licet tenuere' (v. 2339) et de *quippe qui*: 'quippe qui occupauit' (v. 1246). quamquam uero coniunctiuum recipit: 'quamquam decantauerint' (v. 1370). sed haec modorum uariatio latininitatis argenteae communis est.

16. Quod attinet ad orthographiam delego ad commentarium ad v. 402 (oppida). in locis ex aliis Pii operibus allatis editiones, quas consului, secutus sum; errata typographica (v. 117 'notos' pro 'nothos'; 1332 'non' pro 'nunc') tacitus correxi.

17. Multa sunt opera, quae Pius nobis reliquit, neque uolumen est, quod omnia continet; quicumque rationem eius et sensum cognoscere uelint undecumque libros conquirant necesse est. huius nostri libri De Europa magnum est argumentum: et historiam et geographiam auctor describit eamque, ut iterum atque iterum profitetur, breuem et concisam. quae breuiter in medium profert legenda sunt igitur in contextu operis totius: et mirabilis est in corpore Pii operum rerum contextus et uerborum. quapropter ut, quicumque hunc librum in manus sumpturi sint, maiorem ex lectione fructum percipiant, hic illic partes explanatorias desumptas ex aliis eiusdem Pii operibus intersertas offendunt. quas ut clarius distinguerentur ab ipso opere, litteris minusculis descripsi. caueant autem qui eas legent, ne credant se semper et ubique textum solidum et integrum ante oculos habituros esse; sed nunquam quidquam graue omissum est: sola quae superuacanea habui neglexi. dictae partes igitur tantummodo maiori intelligentiae deseruiunt: sunt commentariola, mea autem opinione non inutilia: ita enim Aeneas ipse Aeneam explanat. praeterea animaduertendum est datum additum partibus ex Epistulis excerptis diem et annum epistulae, non rei descriptae significare.

* * *

A

- | | | |
|---|---|---|
| { | F | Vrbinas Latinus 885, sec. XV, membraneus |
| | H | Codex Latinus Monacensis 386, 1480, chartaceus |
| | M | Codex Latinus Monacensis 23725, sec. XV, chartaceus |

B

- | | | |
|---|---|---|
| { | V | Vaticanus Latinus 3888, sec. XV, chartaceus |
| | S | Stuttgartensis cod. hist. 2405, sec. XV, chartaceus |
| | O | Ottobonianus Latinus 2066, sec. XV, chartaceus |
| | Q | Vrbinas Latinus 405, sec. XV, membraneus |
| | N | Codex Latinus Monacensis 5333, sec. XV, chartaceus |
| | P | Parisinus Latinus 6224, sec. XV, chartaceus |

18. Inter codices supra memoratos duae sunt classes internoscendae: classis A et classis B. classis A antesignanus est Vrbinas Latinus 885 (= F), classis autem B Vaticanus Latinus 3888 (= V). discrimen uertitur cum in uarietate lectionum, tum praecipue in tribus lacunis, quas codices classis B ad unum omnes inter se communes habent contra classem A, et quidem 'qui... fuit' (v. 3433-34), 'et terram... aucta est' (v. 4804-06), 'nam... pertinuit' (v. 4811-12).

19. Codex F scriptus est nitide et diligenter (v. tab. 5); opus integrum praebet, quale Pium scripsisse pro certo habeo. ad editionem praeparandam fundamentum melius non est. rarissimi sunt loci in quibus deficit; ubi exemplar, quod exscripsit, illegibile fuit, spatium uacuum reliquit, ut v. 7608 (pariter), v. 8719 (uerbis cf. tab. 5). sicubi quid omisit, textus integrandus est ex V et notis marginalibus, quas Augustinus Patricius (de quo infra dicitur) eidem V addidit; exempla affero: 'observant' (v. 2777), 'habitum' (v. 6953). librarius huius codicis F, linguae latinae haud nescius, hic illic orationem illustrare studuit uerborum ordinem mutando, ut v. 3625 (suo utens iure), v. 4507 (ad nostram usque), v. 5874 (regis filius), v. 9085 (ad Castrum peruenerat uetus; quem ordinem mutatum post restituit nomen proprium respiciens). non dubitauit suo Marte pro uerbis minus usitatis alia operi inserere ut v. 6595 (sessorem), v. 9136 (optime *pro* apprime).

Codex H particeps est huius classis A. folio 120^v legis: 'scripsi Hartmannus Schedel de Nuremberga, arcium et medicine doctor. Anno Domini 1480. in Amberga.' cum uero uir doctus haec scriberet, sibi conscius fuit exemplar, quod exscripserat, non totum opus continere; fuerunt enim ultima uerba codicis exscripti '*ut erat homo facundus*' (v. 8289). addidit igitur in eodem folio: 'reliquum tunc Eneas cardinalis senensis, deinde papa Pius Secundus, morte preuentus non absoluit'. postea sententiam amplificans addidit 'occupationibus in summo pontificio impeditus'. eadem, quae Hartmannus scripsit in codice H, legis in codice M: liber non integer desinit post uerbum 'facundus.' sunt in M multae lacunae; nonnumquam legis 'defuit in exemplari.' sed uide quae Hartmannus in H post notauit: 'sequentem additionem ad Europam Enee

postea reperi et ad precedentem historiam perscripsi.' sic factum est, ut H ad finem perductus sit (v. 9453). addidit 'non longius repertum est.' scriptus est codex festinanter et negligentius. lacunae, quas M, qui ex eodem fonte deriuatur, praebet expletae sunt in marginibus foliorum. additamentum (v. 8289-9453) uicinius uidetur classi B. ad textum edendum hi Monacenses minoris momenti habendi sunt.

20. Classis B antesignanus est V; v. tab. 2. liber hic satis neglegenter scriptus est. librarius quisquis fuerit, licet manu nitida scripserit, multos errores fecit mendaque quasi innumerabilia, quae eum parum peritum ostendant. documento sint lectiones, quales 'immor' (v. 1556); 'cadera' (v. 2091); 'credala' (v. 2180); 'spendide' (v. 3097); 'indiarum' (v. 6106); 'herico' (v. 8213); 'ciuitem' (v. 9279). cumque V tamquam antesignanus agmini quinque codicum praesit, lectiones erratae hic illic in deriuatis apparent, praesertim in S, qui ei uicinior est. sed caueat lector, ne hunc codicem Vaticanum minoris momenti habeat. ut lacunas, de quibus supra (§ 18) iam dixi, et errores omittam, praebet solus in classe sua lectiones quasdam, quas, licet falsae sint et merito correctae, communes habet cum codicibus A quasque, nisi omnia me fallunt, Pio ipsi erranti attribuendas esse suspicor. exempla affero 'Sancti Petri' (*lege Sancte Marie*, v. 2700); 'Vlricus' (*lege Henricus*, v. 2732); 'Martini' (*lege Mauriti*, v. 3875). est et alia lectio, quam V solus in classe B communem habet cum omni classe A; quam lectionem, licet correctam (contristari: turbari, v. 10) redintegrandam esse censeo; noluit enim Pius noster librarii se adeuntis spem fallere: fecit quod petiit: libellum compleuit. accedit etiam quod uerba 'nolui contristari' desumpta sunt de Sacra Scriptura (cf. 2 *Esdr.* 8,10) et apud Pium, ut exemplum afferam, etiam in libro Commentariorum leguntur (176,30).

21. Inter opera recentiora, quae Pius scribens librum De Europa adhibuit, memoranda est epistula, quam Nicolaus Sagundinus ab ipso Pio rogatus scripsit *De familia Otumanorum*, quae ad nos peruenit quamque edidi in libro Carminum pp. 217-25 (cf. supra § 13). magna huius epistulae pars in nostro opere ad litteram refertur, sicut litterae inclinatae (v. 1463-1555; v. 1997-2138) clare demonstrant. est autem locus (1497), in quo lectio Sagundiniana 'infirmauerit' mutata est in 'infestauerit'; quae cum abhorreat ab originali, restituere minime dubitauit.

22. Duo sunt, sicut Rino Auesani⁸ docuit, uiri, quorum scripturae uestigia in V deprehendimus, Augustinus Patricius, qui fuit secretarius priuatus Pii II, post episcopus pientinus, et Francisci cardinalis Todeschini-

⁸ RINO AVESANI, *Per la biblioteca di Agostino Patrizi Piccolomini*, Mélanges Eugène Tisserant VI, 77-78. Città del Vaticano 1964.

Piccolomini, ille qui, Pius papa III electus, auctor fuit Libreriae (ut italice dicam!) illius piccolomineae in ecclesia cathedrali senensi fundandae. horum utriusque manus nobis satis familiaris est. partes enim Commentariorum, quas Patricius scripsit (uideas editionis meae p. 6 necnon tabulas 6, 9, 10, 12, 16) indicant multas correctiones multasque notas marginales codicis V ab eadem manu profectas esse. exempla affero Cesare (v. 94); trans (v. 95) Ioannis (v. 1040); ymo tertius (v. 2154); obseruant (v. 2777); *deficit* (98^v); *uacat* (110^v); nunc (117^v); in Otlandia... referamus (v. 5415-5422); non letus (v. 9357). locos erratos, quos supra innumerabiles dixi, librarii neglegenter scribentis prout libuit correxit; quos silentio praetereo.

Francisci cardinalis manus nobis nota est ex codice Chisiano I.VII.257, (tab. 3) qui codex librum De Asia continet. huius codicis folium quoddam (38^v) inueni, quod duas notas marginales praebet, quas etiam in margine V (70^v) offendimus et quidem uoces 'Pazaites' et 'Tamberlanes' (v. tabb. 2 et 3). quae similitudo manifestum facit notas V eidem manui esse attribuendas. exemplum affero 'turbari' illud (v. 10), de quo supra iam sum locutus. non dubito, quin et lectio falsa illa 'infestauerit' (v. 1497) ab eadem manu profecta sit. studuit enim cardinalis orationem Pii ad normam antiquam reuocare. quo studio adductus etiam uocem 'tremefecerat' (6318), quam classis A conseruauit, deleuit 'tremore affecerat' substituens.

Codex Q scatet erroribus. inter lacunas, quas praebet, una est, quae congruit cum toto folio 283^v codicis O (studia... ex = v. 7526-7581); Q igitur ex O exscriptus est. qui codex sicuti N e P agmen classis B claudunt, ad textum constituendum nullius momenti sunt.

23. Editionem amplo apparatu critico onerare supersedi: quid enim attinet tot enumerare lectiones et quisquilias, quae ad historiam traditionis non iuuent? ut autem lectiones uariae utriusque classis memorarentur, tabulas composui ad hunc usum seruientes. lectiones *litteris inclinatis* scriptas potiores habui.

	CLASSIS A	CLASSIS B
10	<i>contristari</i>	turbari (<i>ex contristari</i>)
1262	<i>subactis</i>	subtractis
1433	<i>illi</i>	illa
1497	<i>infirmauerit</i> Sagundinus	infestauerit (<i>ex infirmauerit</i>)
1498	<i>ac</i> deleui Sagundinum sequens	ac (deliciis)
1554	<i>uastauit</i> Sagundinus	uastans
1564	<i>recuperauerit</i>	recuperauit

1592	<i>auxilia</i>	auxilium (ex -o)
1799	<i>spectare</i>	expectare
1818	<i>quos</i>	equites (ex equos)
1985	<i>accersitis</i>	exercitis
2003	<i>animum</i>	<i>animo</i> (ex -um)
2042	<i>uenustatem</i>	<i>uetustatem</i>
2046	<i>propulsandos</i> cf. OO 873C	pulsandos
2134	<i>sinimus</i>	sinimus (ex sumimus)
2140	om.	<i>eius</i>
2154	<i>tertius</i> correxi	secundus (ymo tertius)
2299	<i>subire</i>	<i>suscipere</i> (ex subire)
2397	<i>perterritis</i>	proterritis
2454	<i>summum</i>	summum: <i>Sunium</i> correxi
2460	<i>propriam</i>	propriam: <i>proprie</i> correxi
2508	<i>Hadue</i> (sic)	Epyri (ex ?): <i>Hadrie</i> correxi
2623	<i>peruenit</i>	prouenit
2684	<i>gestatus</i> H solus	gestant
2700	<i>Sancti Petri</i>	<i>Sancte Marie</i> (ex Sancti Petri)
2709	<i>ministrari</i>	ministrare
2732	<i>Vlricus</i>	<i>Henricus</i> (ex Vlricus)
2747	<i>similes</i>	similes: <i>similiores</i> correxi
2777	om.	<i>obseruant</i> marg
3010	<i>superbierunt</i>	superbi erunt (ex erant)
3310	<i>apud</i>	ad
3426	<i>conclusisset</i>	reclusisset
3431	<i>maximus</i>	maxime
3433-34	<i>qui... fuit</i>	om.
3503	<i>ferocissimis</i>	fortissimis
3668	<i>constaret</i>	staret
3679	<i>excipere</i>	accipere
3690	<i>persequi</i>	prosequi
3705	<i>parique numero</i>	parique numero: <i>-emque -um</i> correxi
3751	<i>pertinacius</i>	protinacius
3789	<i>conuertitur</i>	queritur
3791	<i>successore</i>	sucessione
3870	<i>Martini</i>	<i>Mauritii</i> (ex Martini)
3914	<i>paleis</i>	plateis
3980	<i>et incredibile</i>	<i>incredibile</i>
4084	<i>exiente</i>	<i>exigente</i>
4100	<i>permisit</i>	promisit
4349	<est> addidi	—
4382	<i>rebelles</i>	om.

4499	<i>deierasse</i>	<i>peierasse</i> (ex de-)
4587	<i>communem</i>	omnem
4615	<i>fugas</i>	fugas: <i>profugas</i> correxi
4789	<i>paruulus in tutela Pipini Grossi quem alii Ansgigi filium dicunt in tutela fuit</i> (et per)	<i>paruulus... fuit: paruulus, quem alii Ansgigi filium dicunt, in tutela fuit Pipini Grossi</i> (et per): correxi
4804-06	<i>et terram... aucta est</i>	om.
4811-12	<i>nam... pertinuit</i>	om.
4998	<i>crebris uicibus</i>	crebrius a uicinis
5296	<i>iussu episcopi</i>	cum episcopo (ex -i)
5347	<i>reperti</i>	experti
5415-22	<i>In Otlandia... referamus</i>	In Hollandia (5415) terminetur (5420) <i>post 4401</i> (paruerunt) <i>ante 4444</i> (Vltimi)
5742	om.	<i>in</i>
6194	<i>patriam</i>	partem
6318	<i>tremefecerat</i>	tremore affecerat (ex tremefecerat)
6423	<i>minora</i>	minoris pretii
6482	<i>duce</i>	duce: <i>duci</i> correxi
6566	<i>prestiteret</i>	prestitere: <i>perstitere</i> correxi
6619	<i>rursus</i>	<i>reuersus</i>
6639	<i>furore</i>	fauore
6953	om.	<i>habitum</i> marg
7062-7118	<i>In agro... dimisso</i>	In agro... <i>dimisso post 6932</i> (<i>inuenit</i>) et ante 6937 (<i>Bononia</i>)
7098	<i>cum duo</i>	cum duo: [<i>cum</i>] seclusi
7099	Greg. XIII; Ben. XII	Greg. XIII; Ben. XII: correxi cf. 7869
7230	<i>in eodem agro</i>	in agro
7248	<i>Vrbinarum</i>	<i>Vrbinarum</i>
7367	<i>dictauit</i>	dictaret
7483	<i>induxerint</i>	<i>indixerint</i>
7608	<i>uacat</i>	<i>pariter</i>
7627	<i>perstitit</i>	presitit
7633	<i>daturum</i>	daturum: <i>daturam</i> correxi
7645	et	[et] seclusi
7869	Gregorius XIII	Gregorius XIII: correxi cf. 7099
7878	<i>sacrificium</i>	sacrificium: <i>obsequium</i> correxi
7923	—	restitit (W II,252): <i>restituit</i> correxi
8285	<i>audientibus</i>	<i>audentibus</i> (ex -ientibus)
8454	<i>suum</i>	suum: <i>summum</i> correxi
8527	<i>cui</i>	<i>cuius filio</i> (ex filia)

8719	uacat	urbis: <i>uerbis</i> correxi
8721	appariturum	appariturum: <i>-am</i> correxi
8882	<i>ingesserat</i>	ingesserit (<i>ex</i> <i>ingesserat</i>)
8884	uictumque	uictumque: <i>uinctumque</i> correxi
8891	<i>Manfredus</i>	om.
9040	prestiterat	prestiterat: <i>perstiterat</i> correxi
9052	sex	<i>ui</i>
9211	<i>expetit</i>	expedit
9214	<i>uociferat</i>	uociferans (<i>ex</i> <i>-at</i>)
9282	perrexit	perrexit: <i>peregit</i> correxi
9357	<i>tristis</i>	non letus marg
9375	<i>in</i>	deletum
9445	<i>suprema</i>	superam

24. Inter editiones uetustiores locum principalem tenet parisiina (10.X.1509), quae prima libros De Asia et De Europa in uno uolumine continens, inscripta est '*Cosmographia*', quae inscriptio non authentica est, sed data ab editore. ecce huius editionis inscriptio integra: '*Cosmographia Pii papae in Asiae et Europae eleganti descriptione. Asia Historias rerum ubique gestarum cum locorum descriptione complectitur. Europa temporum authoris uarias continet historias*'. in fine libri legitur: Impressa per Henricum Stephanum impressorem diligentissimum Parisiis e regione schole Decretorum sumptibus eiusdem Henrici et Iohannis Hogonti VI Idus Octobris anno Domini M.D.IX. editor Godofredus Torinus Bituricus (= Geofroy de Tory ex urbe Bourges) librum dedicauit Germano Gannaio Cathurcensium episcopo designato (= German de Gannay, episcopi oppidi Cahors) his quae sequuntur uerbis: Tibi... pulcherrimum hoc opus meritissime dedicari debet. siquidem per capita distinctum et in commodiorem ordinem te promotore et iubente redactum est. quo facilius (ut uoluisti) et melius tibi imprimis, consequenter aliis omnibus studiosis et legentibus regiones terrae, quae numero sunt multae, et in eis res scitu periucundae capiantur et memoriae commendentur...'. Parrisiis apud Collegium Plesseiacum 6 Nonas Octobris anno Domini 1509.

Fuit ergo hic Godofredus primus, qui opus, quod in codicibus se lectoribus tamquam unum et continuum offert, per capita distinxit, certe beneficium in studiosos conferens. distinctionem hanc omnes qui secuti sunt editores ascuerunt. editor autem huius editionis, quam in manibus tenes, etiam ipsa capita Godofrediana, quae LXV sunt, in paragraphos minores diuidere non dubitauit et quidem numero ad 275, eo consilio, ut rerum ordo facilius perciperetur. numerorum notae, quas in ipso textu legis, delegant ad folia Codicis Vaticani Latini 3888.

Editionem hanc parisinam satis raram inueni Romae in Bibliotheca Vallicelliana; siglum est S. Borr. Q I.143. magnam eius partem contuli cum codicibus manuscriptis: patuit librum parui momenti esse ad textum constituendum: partes, quae in classe B deficiunt, etiam Godofredus omisit; est igitur uicinior classi B. Idem dicendum est de editionibus impressis Basileae anno 1574 (=00) et Helmstadii anno 1699.

25. Non omnes, quos Aeneas in hoc libro nominatim memorat, cognoscere potui; sunt qui me inquirentem fallant. lector me habeat excusatum: sit ipse felicior, precor, auguror.

26. In fine horum prolegomenorum respicere libet ad annos qui praeterierunt, per quos singulis paene dixi diebus cum Pio conuersatus sum: amicum habere institui postquam cum Carmina, tum maxime Epistulas eius legi, relegi; ex eis enim comparet uir sincerus, uere humanus, cui nil humanum alienum: et nomine et moribus pius. fructus — qualescumque — huius conuersationis fuerunt tria opera iam ante edita: Pii pontificis *Commentarii*, secretarii *De uiris illustribus*, poetae *Carmina*; quartum uolumen eiusdem cardinalis *De Europa* hodie laetus gratusque absoluo, dimitto. uadat uelis passis felix, cursum teneat, placeat legentibus, sit unicuique iucundum.

27. In hoc uolumine typographiae praeparando strenuus mihi adfuit iuuenis omnibus numeris dexter peritusque, Cornelius Tilburgensis, assistens in facultate litterarum, cuius constantiae et assiduitati liber necnon editor multum debent. auxilium eius nunquam frustra inuocauit, immo ipse inuocationem saepius praeueniebat. utinam, quotiens hunc librum in manus sumpserit, reminiscatur temporis, quo alumnus in Academia Lugduno-Bataua noster uocabatur, et erat.

28. Gratias ago R^{mo} Domino Raffaele Farina, praefecto Bibliothecae Apostolicae Vaticanae, qui, qua est humanitate, hunc librum imprimendum suscepit.

Quomodo tui obliuiscar, carissima? nonne adest annus et dies, quo ante quinquaginta annos sumus coniuncti?

Et uos, Pii amici, qui haec legeritis, ualeatis omnes.

Lugduni Batauorum 29.VI.1999

Vrbis & S. Petri memor

SVM NATVRA PIVS

*

FAXIT DEVS VT IN PIORUM LOCVM DEPVTER

Verba allata ex epistulis Aenae Siluii, cum adhuc laicus esset. v. W I. 1, 504; 536, anni MCDXLV



Ex Pii II

in Historiam rerum ubique gestarum locorumque descriptionem
prefatione *

QVECVNQVE mortales agunt siue priuatim, siue publice, calumnie subiacent, nec diuinis operibus maledica lingua parcat: tantum sibi humanus arrogat intellectus. quid nos speremus historiam cum ueterum aliquorum, tum nostrorum temporum tradituri? an fugiet laborem nostrum malignus interpret? minime quidem, nec tantum nobis arrogamus*.

'Vnde hoc' inquit 'otium pontifici maximo? quod in scribendo tempus absumpsit, christiane plebi detraxit. cur non utilius sese exercuit? tempora nostra et res uulgo notas inculcat. quis fructus? que legendi uoluptas? nec uera prodit, nec prodata ita exornat, ut auditorem delectent.'

Verum qui scripta nostra fastidit, prius legat, deinde uituperet. non ingentia solum facta, sed tenuia quoque nouisse sepe ex usu fuit. nec tempora nostra non admiranda minoribus uidebuntur. quod si lectorem scribentis elegantia non tenebit, uarietas rerum et nouitas abire non sinet. nec liber tam ineptus est, qui non afferat aliquid emolumentum. nec nos falsa pro ueris astruimus, scientes nil tam contrarium esse historie quam mendacium: nugas in fabulis, in historia uerum querimus et serium.

Nec nos plebem suo tempore fraudauimus, qui nec rem diuinam negleximus, nec consistoria seu publica, seu secreta pretermisimus, nec supplices audire contempsimus; sed nostrum senium sua quiete priuauimus, ut ea memorie mandarem, que digna cognitu nostra pertulit etas, cum breui Veterum recensione. nocturni sunt hi labores; nam que somno debebantur horarum maximam partem scribendo consumpsimus*. fatemur, melius suas uigilias expendisset alius, sed dandum fuit aliquid menti, que his lucubrationibus oblectata est.

*OO 281C.

arrogamus Comm. 37,21 Non parcat Pio II pontifici maximo lingua dolosa (Ps. 108,3), que tot Christi uicariis et ipsi Christo non pepercit.

consumpsimus W I.1,226 Iulius Cesar, cum in Gallia bellum gereret, diem armis, noctem litteris dabat. cf. 7456.

De Gestis Sub Friderico III

uulgo

DE EVROPA

CONSPECTVS CAPITVLORVM

- I Hungaria (1); Sigismundus (2-3); Albertus (4-5); Historia Hungarie a Ladislao nato usque ad Matthiam (Coruinum) electum (6-12); Axamites latro (13).
- II Transiluana regio (14); excursus (15); Valachia (16); excursus (17).
- III Thracia, Romania (18); Constantinopolis (19).
- IV Turci: origo et historia usque ad Pii II tempora (20-25).
- V-VIII Bella Turconica (26-46): clades Varnensis (30-33); expugnatio Constantinopolitana (36-43); uictoria apud Albam reportata (44-46).
- IX Macedonia (47); Thessalia (48).
- X Boetia (49).
- XI Hellas (= Attica) (59).
- XII Peloponnesus (51); Isthmus (52); excursus (53); Achaia (54).
- XIII Acarnania (55).
- XIV Epyrus (56).
- XV Albania (57).
- XVI Illirice gentes (58); Bosna (59).
- XVII Dalmatia, Croatia (60); Liburnia (61).
- XVIII Histria (62).
- XIX Carni (63).
- XX Karinthia (64-67).
- XXI Stiria (68-71).
- XXII Austria (72-83).
- XXIII Morauia (84).
- XXIV Slesia (85).
- XXV Polonia (86-88).
- XXVI Lituania (89-93).
- XXVII Rutheni (94).
- XXVIII Liuania (95).
- XXIX Pruteni; Fratres Theutones (96-103).
- XXX Saxonum nomen (104); Pomerani (105).
- XXXI Turingia (106); Alberstadium (107).
- XXXII Brunsvica (108); Saxonia (109-114); 110 et 114 excursus.
- XXXIII Dania, Noruegia, Suecia (115-117).
- XXXIV Bohemi (118).
- XXXV Phrisones (119).
- XXXVI Hollandia (120); Traiectum (121); Dodracenses (122); Vestfalia (123-127); familia Morsensis (128).

- XXXVII Hassia (129)
 XXXVIII Franci (130-134).
 XXXIX Franconia (135-138).
 XL Boioaria (139-142); circa Rhenum, Palatinatus (143); Sueuia (144).
 XLI Marchionatus Badensis (145); Tyrolenses (146); Suicenses (147).
 XLII Alsacia (148); Otlandia (149); Sabaudia (150-153); Arelatum (154).
 XLIII Ioannes Armeniaci comes (155); Regnum Francie (156-162).
 XLIV Gandauenses (163); dalphinus et Agnes Bella (164).
 XLV Anglia (165).
 XLVI Scotia (166-167); Hibernia (168).
 XLVII Hispania (169); Castella (170); Nauarra (171); Portugalia (172-173).
 XLVIII Transito in Italiam (174); Genua (175-176).
 XLIX Mediolanum (177-190).
 L Veneti (191-193).
 LI Mantua (194).
 LII Ferraria (195-198).
 LIII Bononia (199-201); 202 et 203 excursus.
 LIV Florentia (204-214); Luca (215); S. Cassiani oppidum (216).
 LV Sena (217-222).
 LVI Plumbinum (223-226).
 LVII Viterbium (227).
 LVIII Roma: Eugenius IV, Nicolaus V, Calistus III (228-245).
 LIX Vmbria (246); Marchia (247); Nic. Picininus et Fr. Sfortias (248-253).
 LX Asculum (254).
 LXI Vrbinum (255).
 LXII Ariminum (256).
 LXIII Fauentia (257); Fabrianenses (258).
 LXIV Aquila (259-260).
 LXV Regnum Neapolitanum (261-275).

LEGENDA

- AS De Asia = OO 281-386.
 BE Blondi Epitome = OO 144-281.
 Carm. Carmina ed. A. van Heck, Città del Vaticano 1994 (= Studi e Testi 364).
 Comm. Commentarii, 2 voll., ed. A. van Heck, Città del Vaticano 1984; rist. 1996 (= Studi e Testi 312-313).
 DF Dicta et Facta = OO 472-499.
 Dial. Libellus Dialogorum ed. A.F. Kollar, Analecta monumentorum omnis acui Vindobonensia II, 685-790, Wien 1762.
 GC De Gestis Concilii Basiliensis Commentariorum Libri II, edd. Hay et Smith, London 1967.
 Germ. Germania ed. A. Schmidt, Köln-Graz 1962. (*lector reuocatur ad paginam*).
 HB Historia Bohemica = OO 81-143.
 HF Historia Friderici ed. A.F. Kollar, Analecta etc. II, 1-475.
 Iord. Iordanis Romana et Getica rec. Theodorus Mommsen, Berolini 1882 (MGH V, 1).
 Mansi Orationes politicae et ecclesiasticae, 3 voll., ed. G. Mansi, Lucca 175559.
 OO Aeneae Syluii Piccolominei Opera Omnia, Basilea 1571.
 Pent. Pentalogus ed. H. Pez, Thesaurus Anecdotorum Nouissimus IV.3, pp. 639-743, Wien 1723.
 Ptol. Claudii Ptolemaei Geographia ed. Carolus F.A. Nobbe, 3 voll., Lipsiae 1843-45; repr. 1966.
 Somn. Tractatus (siue Libellus de sompno) ed. J. Cugnoni, Aeneae Siluii Piccolomini Senensis Opera inedita, pp. 550-615, Roma 1883 (= Atti Reale Accademia dei Lincei, anno CCLXXX, 1882-83, serie terza. Memorie della classe di scienze morali, storiche e filologiche, vol. VIII).
 Str. Strabonis Geographica ed. Augustus Meineke, 3 voll., Lipsiae 1907-13. (*lector reuocatur ad paginam*).
 Vir. De uiris illustribus ed. A. van Heck, Città del Vaticano 1991 (= Studi e Testi 341).
 W Der Briefwechsel des Eneas Siluius Piccolomini, voll. I-III, ed. R. Wolkan, Wien 1909-18 (= Fontes rerum Austriacarum. Diplomataria et acta 61/62, 67, 68).

[60^v] ANTONIO sacrosancte romane ecclesie presbytero cardinali, hilerdensi appellato, patri suo colendissimo Eneas eiusdem ordinis, non eiusdem meriti, cardinalis senensis S.P.D.

Podagrante^m * me nuper et artheticis doloribus, ut soleo, laborantem librarius quidam theutonicus adiit libellum afferens, in quo Romanorum cesarum non tam gesta quam nomina et pauca de moribus continebantur usque ad Venceslaum Caroli IV filium. cumque illi opusculo quatuor imperatores deesse uiderentur (nam Benuenutus Himolensis, eius operis auctor, sub Venceslao decesserat), rogauit me librarius, ut adicerem libello quod deerat. nolui contristari hominem: compleui ad etatem nostram imperatorum numerum breuitatem illius, qui precesserat, imitatus.

At cum subiret mentem multa et magna inter christianos gesta esse ab eo tempore, quo Fridericus imperium accepit, usque in hanc diem, opusculum seorsum edere statui, in quo singularia quedam eius temporis sub compendio ad posteritatis memoriam transmitterem digna memoratu. edidi igitur breuem historiam tuoque nomini dedicaui qui, cum pari morbo mecum labores, facile inter podagrandum scripta mea et leges et iudicabis.

Fuisset, fateor, opere precium ab initio potius etatis nostre in hoc eum usque rerum gestarum historiam texere, quemadmodum menti mee sepe insedit. sed ea non erat unius podagracionis, et presertim ieiunio quadragesimali occurrentis lucubratio. amat edes nostras ipsa podagra nec tam recedit quam reuertitur libens. fortasse et huic intentioni aliquando subseruiet.

Tu uale et, si quid acerbius in quemquam scriptum offenderis, non tam mee nature quam stimulis podagre [60^v] urgentis adscribe, et quicquid inscite, inepte, absurde occurrerit, sumpto calamo dele*.

Ex urbe Roma IV Kal. Aprilis 1458.

Podagrante^m W III,238 Nulla sunt corporis aut incommoda aut pericula, que non pertulerim. febrium mille species sum expertus, tussi ueluti cottidiano morbo assignatus sum. calculi passio familiaris est mihi. dolores iliorum Rome duodecim

¹ Antonio: v. 39; 7272; 7978; 8204. ² eiusdem ordinis: presbyter cardinalis. ⁵ librarius: quisnam fuerit nescio. ⁷ quatuor: Ruprecht, Jobst, Sigismund, Albrecht II (1400-1439). Benvenuti de Rambaldis Imolensis *Liber Augustalis* ed. M. Freher, Germanicarum Rerum Scriptorum II, 1-14, Francofurti 1612. ¹¹ breuitatem: cf. 15; 16; 69; 1409; 2461; 4043; 7672; 9416. ²⁰ quadragesimali cf. ²⁷ IV Kal. Apr. = feria IV Maioris Hebdomadae (= 29.III).

diebus me uexarunt. oculos Pataui dolui. dentes in ultima Britanie parte, quam
 nunc appellant Scotiam, non sine cruciatu perdidit. podagra quocumque terrarum
 pergo me sequitur. quid stomachi debilitatem aut uentris torsiones referam? nulla
 mihi molestia corporis non est nota. unum erat incommodum, quod nondum
 35 attigeram, urinarum profluuium ac uesice lassitudo ueluti quedam paralis. id
 nunc experior non sine corrosione carnis et fluxu sanguinis. *cf. ib. 501. Comm.*
 489,7 Cum suis pedibus stare Pius presul nequiret, excogitata ingenia sunt, ut
 sedens celebraret. *cf. Carm. 132.*
 40 *dele Germ. 12 (Ad eundem Antonium Hilerdensem)* Nondum opus edidi; inter
 manus est nostras nec sine tuo exhibit iudicio. mittimus igitur ad tuum examen, ut
 ideas corrigasque uel, si melius putes, igne consumas; tu solus es, cuius
 existimationem audiendam arbitror, qui omni genere litterarum instructus non iam
 magister, sed princeps philosophorum et theologice sapientie dicendus es. ad te
 45 ergo ueluti ad fontem doctrine uenio et ad ipsum iubar scientiarum. si condendum
 aut comburendum opus iudicaueris, obediam imperio tuo; si dixeris edendum,
 quem omnes probant. *WI. 1, 28* Maiores nostri, pater honorandissime (*Giuliano*
de' Cesarini), si quando uolebant ingenia trutinare, uiros et doctissimos et pro-
 50 batissimos deligebant, quibus ingeniorum facienda pericula committerent. quare et
 ad Platonem plerique et ad Aristotelem recurrerant. multi postea Socratem,
 Romanorum alii Catonem Leliumque petiere. nostra demum etate Leonardum
 Aretinum, fratrem Ambrosium (*Trauersarium*) et Guarinum Veronensem frequens
 turba postulare consuevit. at reuerendissimam dominationem uestram plurimi
 55 quasi oraculum delphicum consulere. possem ego memorare multos non igno-
 reuerendissime dominationis uestrae iudicium exquirebant neque audebant illa sine
 approbatione uestra in lucem dare. horum sectari consuetudinem et dignum mihi
 uidetur et laudabile (*Iul. 1434*). *ib. 96* Timeo ne ridiculum opus ostenderim neue
 60 aliquid, ut ante feci, meis leserim uerbis et, dum gratiam quero, reportauerim
 odium. opus igitur mihi consilio, et nec alium quam uestram paternitatem (*Fran-*
cesco Pizzolpasso; cf. Carm. 53) hic habeo, qui mihi et sane uelit et recte possit consu-
 lere; sunt enim in uobis plurime littere et ita rerum estis practicus, ut non solum
 65 epistolam ut, si quiddam sit quod mordicum putetis aut Basiliensibus (*patribus*)
 graue, id uobiscum adimatis; nequeo namque mihi consulere. adeo enim sum ueri-
 tatis amator, ut dum illam sequar, me deseram (*28.X.1438*). *cf. Somn. 550; WI. 1, 120.*

³² Scotiam: v. 6002.

QVE SVB FRIDERICO, tertio eius nominis imperatore, apud Europeos
 et, qui nomine christiano censentur, insulares homines gesta feruntur
 memoratu digna mihi que cognita*, tradere posteris quam breuissime libet;
 commiscebimus et aliqua interdum altius repetita, quemadmodum lo-
 corum rerumque ratio expostulare uidebitur.

cognita OO 282D Que per nostrum eum gesta sunt memoratu digna, quantum
 cognouimus, enarrare curabimus, prisca nonnulla premitentes, que uel cog-
 nitionem maiorem rerum uel ornatum afferant.

I

1. HVNGARIA*, que Austrie, Friderici patrie, contermina est et in
 orientem uergit, principium narrationis prestabit. hanc prouinciam non-
 nulli Pannoniam uocant, tanquam Hungari Pannoniorum loco succes-
 serint. uerum neque Hungaria Pannonie terminos implet neque illa tam
 lata olim fuit quam nostra etate Hungaria. intra Danubium enim et Alpes,
 qui ad Italiam et adriaticum respiciunt mare, Pannonia continebatur, ab
 80 occasu Noricum Enumque amnem, ab ortu Mysos ac Tribalos et flumen
 Sauum contingens, intra quos limites Austrie magna portio clauditur et a
 Theutonibus incolitur. Styria quoque iisdem terminis continetur, Valeria
 quondam appellata. Hungaria uero, quamuis inferiorem Pannoniam a
 85 fluuio Leytha* usque Sauum complexa est, Danubium tamen transgressa
 ad Polonos usque protenditur et, que quondam arua tenuere Gepide
 Dacique, possidet. imperium gentis hungarice multo latius est quam ipsa
 Hungaria; nam et Dalmate, quos Sclauos, et Illirii, quos Bosnenses, et
 90 Tribali seu Mysi, quos cum Seruios tum Rascianos appellant, et Gethe, quos
 partim Valachos, partim Transiluanos nominant, Hungarorum imperium
 subierunt, [61"] etsi nonnulli euo nostro Turcorum armis euicti defecerunt.
 hanc prouinciam, quatenus citra Histrum extenditur, sub Octauiano
 Cesare Romani primum obtinere Bachone, Pannoniorum rege, subacto et

⁶⁷ Europeos et insulares; *cf. Hom. hymn. 3, 251 (= 291).* ⁶⁹ memoratu: v. 2630; 4048; 6076.
⁸² Mysos, Tribalos: v. 1293. ⁸⁴ Valeria: *cf. Comm. 157, 22.* ⁸⁷ Gepide: *cf. Iord. Get. 82, 16:*
 Sine dubio ex Gothorum prosapie trahunt originem; sed quia gepanta pigrum aliquid
 tardumque designat, pro gratuito conuicio Gepidarum nomen exortum est, quod nec ipsud
 credo falsissimum; sunt enim tardioris ingenii et grauiore corporum uelocitate. ⁹⁴ Ba-
 chone: *lege* Batone *cf. Vell. II. 110-116; Suet. Tib. 20; Ov. Pont. II. 1, 46.*

95 Amantinis inter Sauum ac Drauum prostratis. Daciam uero trans Danubium, que nunc Hungarie portio est, Traianus imperator edomuit et in solo barbarico prouinciam fecit, sed amissa sub Galieno per Aurelianum recuperata est. post Romanos aliquando Huni*, scythica gens, aliquando Gothi, ex insulis balthei maris populi, deinde Longobardi* ex Germania profecti Pannoniam occupauere. postremo Hungarorum natio ex ultimis Scytharum finibus inundauit, que usque in hanc diem regno potitur et ultra citraque Histrum late dominatur.

100 *Hungaria WIII,190* Hungaria hodie et ultra et citra Danubium latissimas terras occupat; quod citra Danubium est, olim Pannonia fuit, que ab orienti Moesiam, ab occidenti Noricum habuit. septentrionem ei Danubius, austrum illirici montes exceperunt, quos Isidorus magno errore, ut mihi uidetur, deceptus Apenninos uocitat. que trans Danubium Hungaria iacet pars Scythie prius erat duasque gentes habuit, Gepidas, qui contermini Germanis fuerunt, et Dacos, non qui nunc Daci uocantur, quorum rex ad oceanum germanicum inter Suetiam et Saxoniam latissimo regno, sed palustri potitur (nam hi Dani melius appellantur), sed qui ea loca tenuerunt, que nunc Transsiluani occupant, uicina Tartaris in *corone speciem* montibus cincta. in hac parte Hungarie, que Gepidarum fuit, adhuc territorium est, quod Sepusium appellant pro Gepudio, ubi aque riuus habetur, in quo mersa ferri materies in cuprum uertitur. *AS 307C* Ferunt et Hungaros, qui Danubii ripas incolunt, Scytharum genus esse, non quasi ab Hunnis ortos, quod propter uerbi cognitionem aliqui crediderunt, sed ab aliis Hungaris, quorum Iordanus meminit, qui notos eos dicit suo tempore fuisse propter commercium *pellium mardurmarum*. fuit autem Iordanus sub imperio Iustiniani, quo tempore nondum Pannoniam Hungari attigerant. longe post Hunnos, Gothos ac Longobardos Hungari Scythiam egressi ad Danubium peruenere pulsisque prioribus incolis aut sub iugum missis regnum sibi fecere. noster Veronensis retulit populos in asiatica Scythia non longe a Tanai sedes habere, rudes homines et idolorum cultores, quorum eadem lingua sit cum Hungaris Pannoniam incolentibus. *Comm. 741,31* Hungariam nonnulli quasi Hunariam et Hungaros pro Hunis dictos putant, tamquam Hunorum reliquie ad etatem usque nostram perdurauerint.

125 *Leytha DF 490D45* Quicquid est a Leyta fluuio usque ad Anasum amnem pannonicus iuris fuit, ab Anaso in Enum norici.

⁹⁵ Amantinis: cf. Iord. *Rom.* 27,21. ⁹⁶ Traianus: cf. Iord. *Rom.* 27,25. ⁹⁷ Gal(i)eno, Aurelianum: cf. Iord. *Rom.* 27,27. ¹⁰⁶ Isidorus: *Etymol.* 14,4,16. ¹¹¹ corone speciem = Iord. *Get.* 62,13; 75,8. ¹¹³ Gepudio: v. 1086. ¹¹⁷ pellium: cf. Iord. *Get.* 63,14 Hunuguri hinc sunt noti, quia ab ipsis pellium murinarum (*sic*) uenit commercium. mardurmarum: cf. 3247. ¹²¹ Veronensis: quis fuerit nescio; v. 165; AS 307C: Voluisse cum uiris religiosi ex ordine beati Francisci, qui linguam illam nossent, eo proficisci et sanctum Christi euangelium predicare. sed prohibitum a domino, quem de Mosca uocauit, qui, cum esset greca perfidia maculatus, egre ferebat Asiaticos Hungaros latine coniungi ecclesie et nostris imbui ritibus.

Huni AS 307A Ex asiatica Scythia migrauerunt in Europam Huni, feroces populi, quos Iordanus et alii nonnulli ex *mulieribus magis* et demonum semine natos crediderunt. qui transmissa Meotide omnem barbariem inter Tanaim et Danubium occupauere. ex his magnus ille Attilas ortus est, qui subacta Pannonia Italiam ingressus Aquileiam subuertit et in Germaniam transiens plurimas uastitates edidit ac transmissis Rheno in agris catelaunicis memorabile illud prelium commisit, in quo supra centum sexaginta milia hominum cecidere. et quamuis uictus esset, id tamen solacii tulit, quod Theodericum, Gothorum prestantissimum ducem, obruncatum cognouit. *BE 145B* Sunt autem Huni et ipsi Scythe, sed magis efferati quam Gothi, ut qui montibus Ripheis propinquiores existunt. *ib.149C* Gens scythica, que auditis Vesogothorum successibus eorum exemplo finibus egressa apud Pannoniam per id temporis consedebat.

130 *Longobardi BE 169A* Longobardi a longitudine barbe dicti sunt et ab insula Scandinauia originem duxere. in Pannonia quadraginta duobus annis habitauere. *WI.1,550* Illa Italie pars, que olim Gallia Transalpina uocata est, hodie uero ab ipsis Hungaris longas barbas ferentibus Lombardia dicitur. *Dial. 760B* Longobardos esse populos, qui padanam prouinciam habitant inter Apenninum et Alpes. hi Valentiniano regnante ab insula Gotantia, unde et Gothi egressi fuerant, uenientes in Pannoniam, que hodie ab Vngaris, Scythie populis illic immorantibus, Vngaria dicitur, consederunt; nec longo post tempore Italiam ingressi Gallos expulere. Galli autem Thuscos prius abegerant ac Mediolanum, Comum, Brixiam, Veronam, Pergamum, Tridentum et Vicentiam condiderant.

140 Extat adhuc non longe ab ortu Thanays* altera Hungaria nostre huius, de qua sermo est, mater, lingua et moribus pene similis, quamuis nostra ciuilius est, Christi cultrix; illa ritu barbarico uiuens seruit idolis.

145 *Thanays Comm. 741,33* Nos compertum habemus ultra Tanaim, non procul a fontibus eius in asiatica Scythia, populos usque hodie reperiri, qui Hungari appellantur, quorum sermo nihil ab eo differt, quo circa Histrum habitantes utuntur. illi parentes horum se dicunt deosque more gentilium et idola colunt rituque barbarico ac propemodum ferino uitam agunt. Eugenius IV pontifex maximus ad cultum Christi traducere conatus est missis ex Hungaria nobis propinquiori uiris religiosi, qui uerbum Dei predicarent et notam illis facerent baptismi gratiam. interiacentes Rutheni transitum uetauere, qui grecanico ritu Deo sacrificantes perire potius in errore idolatras uoluerunt quam romane ritum ecclesie ad eos deferri. *AS 303C* Tanais Europe atque Asia terminus est ferturque

¹²⁹ magis: cf. Iord. *Get.* 89,8: Filimer rex Gothorum repperit in populo suo quasdam magas mulieres, quas patrio sermone Haliurrunas is ipse cognominat, casque habens suspectas de medio sui proturbat longaque ab exercitu suo fugatas in solitudinem coegit errare. quas spiritus immundi per herimum uagantes dum uidissent et eorum complexibus in coitu miscuissent, genus hoc ferocissimum ediderunt, quae fuit primum inter paludes, minutum tetrum atque exile, quasi hominum genus nec alia uoce notum, nisi quod humani sermonis imaginem adsignabat. tali igitur Hunni stirpe creati Gothorum finibus aduenerunt. ¹³² Aquileiam: cf. Iord. *Get.* 114,19. ¹³³ catelaunicis: a. 451. cf. Iord. *Get.* 108,5; v. 4066. ¹³⁴ supra: cf. Iord. *Get.* 113,18: Ab utrisque partibus centum sexaginta quinque milia caesa referuntur. v. 4684. ¹³⁵ Theodericum: cf. Iord. *Get.* 109,1; v. 4683. ¹⁵⁰ Thanays: cf. Iord. *Get.* 62,8; 65,13. Orosius I.2,4; 52. ¹⁶⁰ grecanico: cf. AS 307 C.

a septentrione Nilo contrarius, paulo tamen orientior. originem eius incertam
 165 australes sunt quam Hyperborei. nos hominem allocuti sumus Verona oriundum,
 qui per Poloniam et Litaniam ad fontes Tanais peruenisse se affirmavit eosque
 transcendisse et omnem illam Barbarie borealem perscrutum. is aiebat paludem
 170 ingrediatur. que stadiis intra se circiter septuaginta distare feruntur. Theophanes
 Mithylineus ex Caucasus Montibus oriri Tanaim existimavit et in septentrionem diu
 currere, postea conuersum ad meridiem in Meotim emittere.

2. In Hungaria, quam Danubius interlabitur, tempestate nostra Si-
 gismundus, Caroli IV* Romanorum imperatoris filius, natione Bohemus,
 175 origine Theutonicus, uaria fortuna* annos supra quinquaginta regnavit,
 insignis. corporis* quoque maiestate ac decore illustris, ceterum bello
 prorsus infelix, quem non Turci duntaxat, sed Bohemi quoque sepe acie
 fuderunt. uxor ei prima fuit Maria*, Ludouici regis filia, cum qua regnum
 180 accepit. illius causa duos et triginta regulos in Hungaria primarios, qui
 aliquando rebellassent*, gladio percussit*. ob quam rem et ipse paulo post,
 regina fati functa, in uincula coniectus est mulierique uidue, cuius uirum
 [61*] interfecerat, in custodiam traditus, donec regni proceres supplicium
 decernerent. sed non defuit capto in extremis rebus prouidentia. qui, ut
 185 conseruare quam fundere. dimissus ab ea Barbaram*, Hermanni comitis
 Cilie filiam, duxit uxorem, nec diu postea comparatis auxiliis regnum
 uendicauit, de proditoribus supplicium sumpsit. mulieris uidue filios et
 honoribus et opibus inter primos regni proceres cumulauit, quorum adhuc
 alterius uiuit filius, Ladislaus* Garius, comes regni palatinus.

190 *Caroli IV HB 101C* Nomen huic Carolo in baptismo Venceslaus fuit, quod in
 confirmatione a Carolo Francorum rege mutatum est, apud quem pueritie
 rudimenta peregit. fuit autem hic Carolus uir magnorum operum, qui regnum
 Bohemie tum religionis cultu, tum legum ac bonorum morum disciplina illustravit;
 195 nam schola liberalium artium ab eo in Praga erecta est, Noua Ciuitas menibus
 cincta, palatium regium magnificentissime exedificatum, monasteria multa fun-
 data, arces constructe admirabiles, pax toti regno data. adeptus imperium rursus
 Italiam ingressus Longobardos in potestatem accepit, Gibellinos, qui iam pridem
 Florentia exulauerant, eiectis Guelphis in suum locum restituit; reliquis Etrurie
 200 partibus pro suo arbitrio leges dedit. coronatus Rome magnifico apparatu
 nouatores rerum, qui aduersus Ecclesiam sentiebant, romano pontifici iudicandos

¹⁶⁴ Ptolemeus: 5.8.2. ¹⁶⁵ Verona: v. 121. ¹⁶⁹ Theophanes: cf. Str. 11.2,2; Jacoby, *FrGH* II, 188, p. 922. ¹⁷² Sigismundus: v. Vir. 45-55. ¹⁷⁴ quinquaginta: 1387-1437. ¹⁷⁵ liberalitate: v. 216; 3101. ¹⁷⁷ Turci: v. 1533; a. 1396 Nicopolis, a Bajazet. ¹⁸⁴ facundia: v. Vir. 46,31-47,31; infra 248-63. ¹⁸⁵ Barbaram: v. Vir. 91,6-24. ¹⁹⁰ Carolo: Karl IV, v. 854. ¹⁹¹ Carolo rege: Charles IV (le bel). ¹⁹⁴ schola: condita 1348. Noua Ciuitas: v. 926. ¹⁹⁹ coronatus: 5.IV. 1355.

tradidit. Ioanni fratri suo Morauiam possidendam concessit. Visegradum nouis
 muris ac propugnaculis communiuit. corpus Sancti Viti Pragam detulit. pontem
 Multaue, qui exundationibus corruerat, in Praga restaurauit. ecclesiam pragensem
 ad metropolitico decus erexit, cum antea maguntino pontifici subiecta esset.
 205 clarus profecto imperator, nisi bohemi regni gloriam magis quam romani imperii
 quesiuisset. illud quoque nomini suo non paruam inussit maculam, quod Ven-
 ceslaus, ex filiis suis natu maiorem, in imperio sibi successorem adhuc uiuens
 ordinare conatus est, idque pecunia.

fortuna Comm. 743,7 (Sigismundus) supra duos et quinquaginta regnavit
 annos, digna et indigna perferens, qui prelio cum Turcis commisso uictus
 210 profligatusque fuit, quamuis ex omni Europa ad eum auxilia accessissent.

corporis Vir. 54,19 Fuit autem Sigismundus egregie stature, illustribus oculis,
 fronte spaciosa, genis *ad gratiam rubescentibus*, barba prolixa et copiosa, uasto
 animo, multiuolus, inconstans tamen, sermone facetus, uini cupidus, in Venerem
 215 ardens, mille adulteriis crimosus, pronus ad iram, facilis ad ueniam, nullius
 thesauri custos, prodigus dispensator, plura promisit quam seruauit, finxit multa.
W I.1,355 Erat Sigismundus, licet grandeuus, in libidinem pronus. matronarum
 alloquiis admodum oblectabatur et femineis blandimentis gaudebat nec suauius illi
 quicquam fuit illustrium aspectu mulierum.

Maria Vir. 45,22 Sigismundus Mariam, Ludouici regis Hungarie filiam, in
 220 matrimonium sibi collocauit, propter quam et regnum Hungarie suscepit. plurima
 tamen in eo passus est rebellantibus sepius Hungaris, quorum propria mutatio est.
Comm. 743,5 Ludouicus sine uirili sobole decessit; filiam eius Sigismundus, Caroli
 IV imperatoris filius, duxit uxorem, cum qua regnum Hungarie adeptus supra duos
 225 et quinquaginta regnavit annos.

rebellassent Vir. 46,1 Conspirauerunt autem semel Hungari manusque in
 Sigismundum iniicere cogitarunt uenientesque in aulam regiam scelus admittere
 statuerunt. quod cum Sigismundus animaduertisset, arrepta sica in locum aule
 eminentiorem ascendit uersusque in barones rutilantibus ac minacibus oculis
 'Animaduerti', inquit 'Hungari, uos huc me captum uenisse, sed uidebo ego, quis
 230 uestrum tam audax, tam temerarius tamque sceleratus erit, ut in regem suum
 manus iniiciat. simulque hanc sicam in uentrem eius recondam, ne impunitus
 regiam maiestatem leserit. eccum me! cur non apprehenditis? liga me, quisquis es
 audax! accipe regem tuum! nec te homines nec superi impunitum relinquent.'
 235 exterruit itaque omnes constantia Sigismundi ac magnanimitas. itaque singuli
 excusare se ceperunt, ne talia de se crederentur. quos Sigismundus paulatim exire
 iussit sueque custodie magis cauit. exinde cum de conspiratoribus instructus esset,
 exiens in campos barones omnes adesse iussit uocansque singulos ad tentorium
 suum seorsum, triginta ex maioribus, unum post alium, capite truncauit, oc-
 cidissetque plures, nisi sanguis fluens occisionis indicium extra tentorium fecisset.
 240 quo admoniti alii ire noluerunt, quamuis uocati. postea uero, cum iam regina
 mortem obisset, seditio facta est in regno Sigismundusque a baronibus captus

²⁰⁸ conatus: a. 1376. ²¹⁰ uictus: Nicopolis, 28.IX.1396; quae uictoria Europam Turcis
 aperuit. v. 1533. ²¹³ ad gratiam r.: cf. Sol. 66,15 (de Alexandro Magno), v. 631.
²¹⁶ prodigus: v. 175; 383; 3105. ²²⁰ Ludouici: I,1326-82.

duobus adolescentibus siue iuuenibus, quorum pater sub tentorio occisus fuerat, traditur.

245 *percussit DF 489C44* Captum ab Hungaris Sigismundum duo adolescentes
cognomento Garii, quorum pater ab eo neci traditus fuisset, custodiendum
acceperere, donec omni conspiratorum iudicio in eum animaduverteretur. quos cum
ille, ut se dimitterent, frustra pertentasset, uidua eorum matre ad se uocata 'Scio',
250 inquit 'mulier, uiri tui mortem tibi acerbissimam fuisse teque mihi tanquam autori
eius infensam. uerum ego per superos iuro: inuitus tanti uiri exitio assensus sum.
regina eum atque alios accusauit, condescenderunt regni proceres atque in reos
mortis sententiam tulere. ignarus ego factionum uestrarum nouus ad regnum
ueneram. quod regulatorum maior pars decreuisset, id mihi exequi necessarium erat.
255 esto tamen: uirum tuum sciens uolensque neci dederim cruciandum. tunc
propterea natorum tuorum aut aliorum iracundie me obiciēs? et quis, obsecro, uel
te uel illos fructus sequetur? non desunt mihi fratres et amici, qui meum san-
guinem ulciscantur, neque Hungaria rege diutius carebit. exempla regis timent.
nemo apud eos acceptus est, qui manus suas regio sanguine cruentauerit. quod si
260 me missum feceris, ex filiabus Hermanni comitis Cilie, necessarij tui, uxorem
ducam, fratris ac soceri adiutus opibus regiam demum potestatem uendicabo, filios
tuos in primis caros habebō efficiamque, ut omnis posteritas tua hoc factum sibi
fructuosum sentiat. hoc ego cum liberis tuis egi, sed non capit etas, quantum
necesse est. te, que plus sapis, et illis et tibi consulere oportet.' persuasa mulier
265 regem dimisit. is Barbara Ciliensi in matrimonium accepta breui post tempore
debellatis rebellibus uictor regnum obtinuit promissoque satisfaciens Garios
iuuenes super regulos extulit. ex his ortus est Ladislaus de Gara, quem banum
appellant, inter primores Hungarie proceres opibus et autoritate prepollens. cf. *Vir.*
46,20-48,5. HB 102D.

Barbaram Vir. 91,15 Hec autem Barbara egregij mulier corporis fuit, procera,
270 candida, sed maculis quibusdam faciem fuit lesa. multum ei studium fuit querendi
decoris; itaque duo pulcherrimi coniuges inuicem conuenerunt. sed cum Si-
gismundus in plures mulieres arderet, ipsa quoque amare cepit alios; infidus
namque maritus infidam facit uxorem. ex hac tamen Sigismundus Elizabeth filiam
275 suscepit. *HB 130F* Apud Grecium Barbara imperatrix decedit, inexhauste libidinis
mulier, que inter concubinos illaudatum eum publice agitans sepius uiros petiit
quam peteretur, neque christiane neque alteri cuiquam religioni astricta, quippe que
superos inferosque ullos esse negabat. ferunt eam ancillas suas sepe orantes
ieunantes ue increpasse, que corpus suum frustra macerarent fictumque celi
280 numen placare uerbis crederent. corpus Barbare quamuis infidelis femine Bohemi
Pragam tulere peractoque funere in sepulchrum regum condidere. nec defuere
sacerdotes, qui profanum cadauer ecclesiastico ritu sepelirent; non sunt regibus
scripte leges. *DF 486D5* Barbare, que Sigismundi cesaris uxor fuit ac fatis functo
uidua superstitit, cum sibi diceret aliquis imitandum regum exemplum, que
285 mortuo marito perpetuam castitatem seruaret, 'Si me ratione carentes imitari
uolucres iubes, cur non columbas potius passerisque proponis?' *HF 181C*

²⁴³ adolescentibus: Garii v. 246; 265-66; 298.

Barbara, que fuit Sigismundi coniunx, ex domo ciliensi, quamuis senectute
confecta peste tamen interiit, nobilis genere, infamis uite mulier, quam sepius in
adulterio Sigismundus comprehendit, sed adulter ignouit adultere. tam inexhauste
libidinis inuenta est, ut non tam crebro peteretur a uiris quam ipsa uiros peteret.
290 post uiri obitum in Bohemiam se recepit apud Grezium ibique inter greges
exoletorum concubinosque consenuit. defunctam scelerati et abhominabiles Hus-
sitarum sacerdotes Pragam duxere atque inter sua sacra regum tumultis condidere,
digni qui tam impium funus peragerent impii. *W III,27* Barbara imperatrix, que
fuit Sigismundi coniunx, Friderici comitis Cilie soror, diem obiit. cuius corpus
295 Pragam delatum in castro sepultum est. cordata mulier fuit, sed future uite, ut
aiunt, parum credula. nunc, si pie uixit, mercedem habet. sunt qui defunctam bene
et, ut christianam decuit, supremum spiritum emisisse dicunt.

Ladislaus Vir. 57,26 Ladislaus banus, magnus in Hungaria baro regineque
coniunctus sanguine.

3. Multa huius Sigismundi egregia facinora memorie prodita sunt; inter
300 que illud preclarissimum, quod ecclesiam catholicam, in tris partes
diuisam*, coacto apud Constantiam* generali concilio ad unitatem redegit,
Italiam, Galliam, Hispaniam, Angliam eius rei causa peragrans. Vitoldo*
Lituanie duci, ut se regem appellaret, missa corona indulsit; prius tamen
305 ille uita decessit quam solemnna coronationis expleret. Prussiam, quam rex
Polonie Fratribus beate Marie Theutonicorum armis ademerat, restitui
iussit. cum Venetis duce Pipone* Florentino grauius bella gessit. Ven-
ceslaum*, Bohemie regem, germanum suum, quod regno inutilis esset,
coniecit in uincula, quamuis negligenter custoditum magno rei publice
310 malo quidam Bohemi e carceribus surripuerint. coronam* imperii ab
Eugenio IV pontifice maximo Rome accepit. Bohemia post multas
calamitates uix tandem potitus est. Marchiam Brandeburgensem Fre-
derico burgraffio norimbergensi dono dedit. filiam Elizabeth*, ex Barbara
315 natam, Alberto duci Austrie in matrimonium copulauit [62*] illique demum
apud Znoymam, Morauię ciuitatem, moriens* regna, quibus prefuerat,
ultima uoluntate reliquit. ossa eius in Varadino iacent.

diuisam Vir. 49,21 Cum iam scisma foret et Benedictus Hispanias teneret,
Gregorius quosdam Theutonicos Italicosque haberet, reliquum Ioannes XXIII
obtineret christianitatis, placuit Sigismundo pro pace ecclesie laborare. *ib. 50,21*
320 Labore atque industria Sigismundi scisma, quod annis circiter quadraginta

²⁹⁴ Friderici: v. 2782. ²⁹⁸ magnus: v. 473. ²⁹⁹ coniunctus: v. 259; 474; 617. ³⁰⁵ Prus-
siam: v. 3546 sqq. ³⁰⁵ rex: Wladislaw II Jagiello, 1350-1434. ³⁰⁶ ademerat: pugna ad
Tannenberg a. 1410. restitui: pace conclusa; Torun a. 1411. ³¹⁰ quidam v. 369; 374.
coronam: 31.V.1433. ³¹² tandem: 28.VII.1420. ³¹³ dedit a. 1411. ³¹⁴ Alberto: v. Vir.
55-58. copulauit: 28.IX.1421. ³¹⁷ Benedictus: Vir. 49,21-50,22. ³¹⁸ Gregorius: v. 7869;
tab. 2. ³²⁰ quadraginta: 1378-1417.

durauerat, extinctum est paxque facta. *Germ. 16,6* Magna illa et memorabilis fuit (synodus constantiensis), que Ioannem, Gregorium ac Benedictum de summo pontificio contententes ab ecclesie gubernatione abdicauit, schisma perniciosissimum, quod annis uno de quadraginta christianas agitauerat plebes, radicitus extirpauit, Martino V, ex nobili Columnensium prosapia genito, concordibus patrum uotis uices Iesu Christi commisit. *W II,164* In principio constantiensis concilii tres uiri de summo pontificatu certabant: Petrus de Luna, cui maxima Hispaniarum pars obediebat, Angelus Corario, quem pauci ex Italia et Germania sequebantur, et Baldassar Cossa, quem ceteri uenerabantur. primum Benedictum XIII, secundum Gregorium XII, tertium Ioannem XXIII in Petri cathedra uocabant. priores duos pisanum concilium summo sacerdotio prius abdicauerat. Ioannem Alexandro Bononie mortuo, qui Pisis apostolatum acceperat, cardinales suffecerunt. Gregorius igitur, ut Constantie cogi synodum acceperat, resignare pontificatum quam secundo priuari maluit. Benedictus grande peccatum asseuerabat qui uerus pontifex esset onus refugere. hunc uelut hereticum et unitatis ecclesiastice turbatorem sancta synodus condemnauit. Ioannem cedere apostolatu recusantem, cum fugisset Constantia, apud Brisacum, ubi traicere Rhenum querebat et Borgundionum se duci credere, Sigismundi cesaris opera interceptum carceri mancipauit.

Constantiam Germ. 51,9 Constantia inter duos lacus constituta, quos Rhenus implet atque exonerat. *W I.1,32* Constantia, ubi Martini pape V, pastoris nostra tempestate felicissimi, creatio fuit.

Vitoldo Vir. 51,27 (Sigismundus), cum Poloni sibi essent infesti, Vitoldum, magnum ducem Lituaniae, sibi conciliauit, quem etiam in suis dominiis uisitauit obtulitque sibi coronam; nam Lituania, cum esset amplissima patria, in regnum erigere uolebat, ut a iugo Polonorum reduceret. iamque inuitis Polonis Vitoldus cum Litanis rem aggrediebatur, sed ante mortuus est quam res perfici possit. *W III,516* Vitoldum, magnum Lituaniae ducem, uirum sui temporis seuerissimum et astutiarum plenum.

Pipone Comm. 212,21 Sigismundus etate nostra misso Pippone Florentino cum magnis copiis in Italiam rem uenetam ingentibus affecit cladibus. *ib. 152,28* In armis qui ex Florentinis claruerunt magna est Pipponis gloria e familia Scolarium, qui regnum Hungariae multis annis administravit, in quo rege potentior uisus est. *Vir. 26,16* Pippus ex paruo statu per Sigismundum usque adeo exaltatus erat, ut sepe diceret Sigismundus 'Si Pippus uellet, extra regnum me pelleret.' hic post in regno pacifice mortuus est, sed nemo suorum sibi successit peritque simul et ipse et sui omnes.

Venceslaum Vir. 49,1 Venceslaus Romanorum rex, cum imperasset annis circiter quatuordecim, priuatus imperio (nam deses iudicatus est neglectorque imperii) illique substitutus est Iudocus marchio Moraue, patruelis eius, qui, cum

imperasset diebus paucis, mortem obiit. forsitan fata egre tulerunt eum acceptasse aduersus consanguineum tantam dignitatem. *ib. 15* Venceslaus autem fuit homo deditus uoluptati, laborum fugax, uini cupidus, thesauri amator, uenationis secutor. aduersus quem subditi sepe rebellarunt; nam postquam imperium amisit, etiam Bohemiae regnum pessundauit. captus semel per Sigismundum in custodiam datus est duci Austriae apud Viennam, sed aufugit tamen. *HB 102E* Fuit Venceslaus longe patri absimilis, uoluptatum sequax ac labores fugiens, uini quam prorsus regni curiosior. ob quam rem captus a baronibus decem et septem hebdomadas in custodia habitus est. Ioannes, dux Lusacie, et Procopius, marchio Moraue, magno rei publice malo eum libertati reddiderunt. captus est secundo per Sigismundum, Hungariae regem, fratrem suum, et Alberto Austriae duci in custodiam datus. custodia eius in egregiis edibus apud Viennam habita, quibus exinde cognomen Praga datum, quod eas rex Pragensium incolisset. sed cum parum diligenter custodiretur, fugam arripuit regnoque rursus potitus est. ab electoribus imperii comprobante romano pontifice imperio deiectus domi torpens illaudatum egit eum.

coronam Vir. 53,16 (Sigismundus) Romam iuit ibique in cesarem coronatus est promisitque Eugenio eum quoad uiueret pro papa recognoscere. quam rem quidam inconstantie ascripserunt, cum ante concilio assistentiam promississet. *ib. 54,25* Cum Rome apud Eugenium esset 'Tria sunt,' inquit 'beatissime pater, in quibus discordamus et rursus, in quibus concordamus, tria: tu mane dormis, ego ante diem surgo; tu aquam bibis, ego uinum; tu mulieres fugis, ego sequor. sed concordamus in his: quia tu large dispensas thesauros Ecclesie, ego nihil mihi retineo; tu malas manus habes, ego malos pedes; tu destruis Ecclesiam, ego imperium.'

Elizabeth Vir. 55,23 Albertus Elizabeth, filiam Sigismundi regis, in uxorem accepit, feminam admodum pulchram, que secum cum magna pudicitia uixit. *ib. 58,3 (Elizabeth)* plurimum letabatur, cum plus honoris sibi quam uiro impendi uideret. Hungari enim eam honorabant, quia et linguam sciebat et heres regni fuerat; Albertum autem propterea susceperant, quia uir esset, nec amabant Theutonicum, presertim hungari sermonis nescium. illa insuper mulier callida fuit et astuta et in corpore femineo uirilem gestabat animum maritumque suum quaque uolebat trahebat.

morians HB 123B Egrotare interea Sigismundus cepit exaugente morbum senectutis incommodo. Barbara imperatrix de retinendo imperio sollicita Henricum Ptascionem, Alscionem Sterenbergium, Georgium Poggiebracium et alios plerosque barones, quorum autoritas apud Bohemos potior, clanculum ad se uocat, Sigismundum breui moriturum asserit, futuras in regno turbationes, nisi rei sue quam celerrime consulant; quietis unicam uiam esse, si se uiduam rex Poloniae ducat uxorem. id ei suasu facile; nam quis matrimonium renuat, quod dotalia duo regna

³³¹ abdicauerat: 25.III.1400. ³³⁸ duci: Ioannes Sine Pauore. ³⁴² felicissimi: v. 8530; 8967; Carm. 61; W I. 1,323. ³⁵⁹ quatuordecim: 1376-1400; Erratne Aeneas? an scripserat XXIV?

³⁷³ Praga: v. 3075. ³⁷⁹ concilio: basilienis, 1431-49. ³⁹⁰ nec amabant: v. 447; 593. ³⁹⁶ Ptascionem: W I.1,352; Caluus Bohemus Ptasko est, uir sensatus, uoluntate uaria. Georgium: v. 853. ³⁹⁹ rex: Vladislaus III.

sequantur, eaque maxima et opulentissima? suo nomine et in Hungaria et in Bohemia oppida munitissima custodiri. comites Cilie, alterum fratrem, alterum nepotem auxilia prebituros, multos in Hungaria proceres suas partes complexuros. placet Bohemis imperatricis consilium datisque dextris fedus ineunt. mulier, iam
 405 anus, nouum coniugium mente complexa filiam, que in spem regni creuerat et Alberto duci Austrie nupserat, ex animo dimouet, nec aliud quam noui concubitus gaudia meditatur. inexhaustam femine libidinem, que tumulo quo propior est, eo genialis tori nuptialisque facis cupidior et curiosior redditur.

Non latuerunt imperatorem furentis femine excogitatus. qui postquam referentibus medicis moriendum sibi esse cognouit, ex Bohemia, cuius sibi dubia fides erat, in Morauiam se uehi iussit uisurus filiam, priusquam uita excederet. illa cum uiro ad eum in ciuitatem uenit, quam Snoimam uocant. ibi mox Barbara uirum secuta custodie traditur. Vlricus Cilie comes premonitus fugam arripuit. imperator uocatis in cubiculum Hungarie ac Bohemie primoribus aduentasse resolutionem
 415 sui corporis nec iam amplius se uiuere posse affirmat, iturum se patrum uiam. ceterum, priusquam oculos claudat, de salubri statu regnorum suorum uelle cum eis agere. Albertum Austrie ducem generum suum esse et uirtute prestantem et generis nobilitate sublimem. eum se non minus amare quam filium. successorem itaque suum nominare. rogare supremam uoluntatem suam exequantur; beatum id regnum futurum, cui Albertus imperauerit. exin legatos nominat, qui se mortuo Bohemiam petentes in conuentu procerum testamentum suum patefaciant. inter quos Gaspar Slichius princeps fuit matre italica ex comitibus Alti Collis agri tharuisini, patre theutonico natus ex familia Lazana prouincie Franconie, ingenio dextro, facundia suauis, doctrine cultor, ad omnia genitus, quecumque ageret.
 425 quem usque adeo fortuna et uirtus extulit ut, quod erat prius inauditum, trium cesarum successiue regnantium cancellarie prefuerit. unus ex ducibus Slesie filiam sibi in matrimonium tradere non recusauit.

Sigismundus supremis suis ordinatis inter amicorum manus defecit. Albertum barones qui aderant ex Hungaria et Bohemia concordibus animis regem salutauere.
 430 ipse missis in Bohemiam suis et Sigismundi legatis uersus Posonium iter flexit. miserabile spectaculum et humanarum rerum singulare documentum: imperatrix captiua et imperatoris cadauer una uehitur. iusta defuncto regi persoluta. corpus eius in Varadino, ut in ultima uoluntate placuerat, sepultum. Albertus in Alba Regali

⁴⁰² oppida: Quamuis ipse Aeneas (in autographis) uocem oppidum eiusdemque derivatas nunquam duplicata p littera scribat, in tractatu de orthographia (W II, 146) duplicata scribi oportere dicit: oppida duplicata p littera scribi oportere, quia poete longam eius primam syllabam posuerunt. cf. W III, 458: Nimium mihi credis, si meis ex litteris, quas raptim et inconsulte scribo, sequendam orthographiam putas. minime ego is sum, qui sine mendaciam scribam; labor et erro maxime circa iuncturam litterarum. nolim igitur auctore me decipiari, etiam si ex proposito dixerim: hoc atque illud ita scribendum est. querito meliores et qui certiora tradant. cf. Ubaldo Pizzani, *La sezione ortografica del De liberorum educatione di Enea Silvio Piccolomini* (= L'Educazione e la Formazione intellettuale nell'età dell'Umanesimo, Milano 1992, pp. 177-185). ⁴¹⁴ resolutionem: cf. 2 Tim 4,6. ⁴²² Slichius: v. Carr. 38; W I.1, 121; 482; II, 83; 88; 94 matre: Therese (secunda uxor). cf. Grotfend, *Stammt*. 1875, III, 6. ⁴²³ Lazana: Lazan. ⁴²⁵ trium: Sigismund, Albrecht II, Friedrich III. ⁴²⁶ unus: Konrad († 1448). filiam: Agnes (a. 1437). v. W II, 67; 69.

cum coniuge sua Elisabeth Kalendis Ianuarii summo consensu et applausu populi coronatus est. 435

4. Albertus apud Albam Regalem cum coniuge coronatus Bohemie quoque diadema suscepit. cuius felicitatem admirati Germanie principes et ipsi suum sanguinem extollere decreuerunt romanum ei committentes imperium. id Alberto suscipere non licebat, nisi primores* Hungarie indulgerent, quibus haud ex usu uidebatur suum regem Theutonibus
 440 imperare. atque ob eam causam iureiurando Albertum obligauerant, ne suo iniussu imperium acceptaret. uocati tamen ad regem, qui tum Vienne* fuit, uicti precibus prebuere consensum. ille imperio auctus in Hungariam rediit aduersus Turcos, qui tunc Rasciam inuaserant, arma moturus. sed dum Bude moram facit (ea est regum sedes), iudex ciuitatis, natione
 445 Theutonicus, Hungarum quempiam ob delictum fluuio demersit. id Hungari molestissime tulerunt, quibus theutonicum nomen exosum est. excitatur euestigio tumultus*. Hungari arma capessunt, obuios Theutones passim trucidant. fit fuga in arcem, qua rex se continebat. diripiuntur negotiatorum domus, quorum pars maior theutonica fuit. 450

primores Vir. 56,8 Cum in Hungariam perrexisset coronarique deberet, fuerunt complures nobiles, qui se nihil de sua electione sciuisse contenderent nec eum in regem uolebant. quibus Budam uenientibus is obuiam exiuit iratosque nobilium animos tanta humanitatis exhibitione pacauit coronatusque est cum omni pace. 455

Vienne Germ. 52,11 In Austria complura sunt oppida digna nomine, inter que Noua Ciuitas non infima est, incolatu diui Federici cesaris illustrata. sed omnium preclarissima est Vienna, quam prisci Flauianum appellauere, et hic credimus Aras fuisse Flauianas, de quibus Ptolemeus commemorat. hic ducum Austrie uetusta sedes et palatia digna regibus et templa, que mirari Italia posset. ex quibus diui Stephani delubrum admirabilius est quam nostris exprimi uerbis queat. cuius turrim cum aliquando inspexissent Bosnensium legati et tum artificium, tum altitudinem diu admirati essent, in eam sententiam uerba profuderunt, ut turrim illam pluris constitisse dicerent quam regnum Bosne uenundari posset. tacemus priuatarum edium splendorem et amplitudinem, quarum non paucas inuenias ad regiam excellentiam fastigiatas. cf. *W I.1, 80-84; HF 7C-14A*. 465

tumultus Vir. 57,19 Bude ingens clamor populi subortus est contra Theutonicos. arreptis namque armis Hungari per ciuitatem crassabantur atque, ubi Theutonicos reperiebant, illico trucidabant. tum et domus mercatorum expugnabant. itaque fuit ingens timor omnibus Theutonicis. rex in arce se tenebat
 470 trepidum ac cum regina contendebat, que sic eum duxisset. barones quoque hungari non satis fidebant populo. itaque per plures horas cedes rapineque facte

⁴³⁵ coronatus: I.I.1438. ⁴³⁸ committentes: 29.VI.1438. ⁴⁴⁷ exosum: v. 390; 593. ⁴⁵⁸ Flauianum: cf. Comm. 157,19. Aras: Ptol. 2.11,15; Arae Flauiae = Rottweil am Neckar. ⁴⁵⁹ Flauianas: *intellege* Flauias. ⁴⁶¹ delubrum: 1258-1450. ⁴⁶³ altitudinem: pedes 445. ⁴⁷⁰ rex: Albertus II.

sunt pluresque Theutonici occisi. sed Ladislaus banus, magnus in Hungaria baro
regineque coniunctus sanguine, ascendens equum per urbem iuit multisque
475 precibus furorem populi mitigauit; nam *pietate grauis ac meritis* apud eos
censebatur. *Germ. 44,47* Quid est quod pannonice plebes egrius ferant quam suo
in regno Alamanos negociari, a quibus omne egeritur regionis aurum?

Euangelizabat eo tempore Budensibus Iacobus* Marchianus, ordinis
Minorum professor, doctrina litterarum et uite sanctimonia clarus. qui
480 sedaturus tumultum simulachrum Saluatoris crucifixi in manu gestans,
furenti armatoque populo obuam factus, ut cedi parcant, ut rapinis
abstineant, ut arma deponant supplex orat. illi uerba eius minime
intelligentes (neque enim [62^v] tempus ferebat interpretem) bene sibi
485 futurum autumant, qui Christum suis ceptis ducem habeant, subli-
memque Iacobum simulque Crucifixum in ulnis attollunt, ac bachati
per urbem nunc istam, nunc illam domum compilant. fiunt tamen
aliquanto minora spolia et a cedibus temperatum est ob presentiam Iacobī,
qui modo precibus, modo lacrimis furorem incense plebis lenire conatus
est.

490 *Iacobus Vir. 40,13* Iacobus ex Marchia ordinis Minorum Bernardini discipulus
fuit. is Hungariam intrauit cumque linguam ignoraret, per interpretem turbas
alloquebatur magnamque audientiam et gratiam apud omnes adeptus est. cum
seditio Bude foret et Hungari contra Theutonicos surrexissent totaque ciuitas in
armis esset, Crucifixum is secum attulit hortatusque est, ut dimissis odiis ob
495 reuerentiam Crucifixi pacem haberent. sed Hungari tamquam felicius pugnaturi et
monacum et Crucifixum extollentes insecuti sunt Theutonicos ingentesque cedem
fecerunt.

Sedato tumultu Georgius Palocius*, strigoniensis ecclesie pontifex,
moritur, apud quem preciosa regni suppellex in custodia fuit. rex Stri-
500 gonium petit et regina cum eo. aperiuntur arche, in quis thesaurus
obseruabatur, coram regina et selectis regni baronibus. illa clam subtracta
corona, quam sacram appellant, fidelique anui tradita archas claudit atque
obsignat.

505 *Georgius Palocius HB 126E* Georgius Palocius, Strigoniensium pontifex, diem
obiit, qui coronam regni diuitemque regum suppellectilem in arca seruauerat. qua
re cognita Albertus eo se confert, arca regine deditur. que dum thesaurum regni
coram baronibus ad eam rem selectis recognoscit, coronam beati Stephani regis,
quam sacrosanctam putant, clam surripuit anuique custodiendam tradit. cetera

⁴⁷⁵ pietate = Verg. A. 1,151. ⁴⁷⁸ Iacobus: cf. Comm. 645,29 sqq. HF 175C: (S. Bernardini) plures discipuli remanserunt, eloquentia prestabiles et accepti plebibus; precipui tamen habiti sunt Albertus de Sarteano senensis territorii, quem pontifex Eugenius ad Indos misit, Iacobus de Marchia, qui diu apud Hungaros euangelizauit, et Ioannes de Capistrano. ⁵⁰² anui: Helena Kottancrin.

obsignatis ocludit arcis. *Comm. 743,3* Nec Hungari uerum existimant suum regem esse, nisi qui ea fuerit coronatus. tanta uis superstitionis est. 510

5. Albertus paulo post ad Ticiam* usque fluuium proficiscitur ibique castrametatus maiores copias expectat, cum quibus Turcos inuadere possit Synderouiam obsidentes. prius tamen expugnatum est oppidum quam auxilia uenirent. ipse Budam reuersus, cum dissyntheria laboraret, Vien-
nam repetere statuit siue moriturus inter suos, siue quod aerem, in quo 515 fuerat enutritus, conferre aliquid ad sanitatem sperabat. sed in itinere magis ac magis morbo affectus relicta uxore pregnante obsignatoque testamento in Villa, que Longa dicitur, VI Kal. Nouembris e uita decessit*, religiosus princeps et qui liberalitate simul iustitiaque prestaret. fuit 520 quoque in bellis audax et manu promptus: Morauos* ac Bohemos armis subegit, Polonos* late uagantes intra regnum suum coercuit, magna de se christiane rei publice promittere uidebatur nec minora populi de sua uirtute conceperant. pulcherrime [63^r] spei satisfieri breuitas uite non siuit: repente occidit que breui ad summum potentia creuerat; neque enim 525 biennio toto imperauit. statura eius procera fuit, neruosum et ualidum corpus, facies terrifica, more gentis erasa barba, superius labrum intonsum. uestem haud splendidam baltheus auro grauis cinxit nec unquam lateri defuit ensis. corpus eius in Alba reconditum est.

Ticiam HB 126F Albertus aduersus Turcas exercitum ducit, castra inter Ticiam amnem ac Danubium collocat. ubi expugnatam Synderouiam, Turcas abiisse 530 cognouit, dimisso exercitu Budam rediit. sed insolito feruentis Augusti calore uexatus, dum peponibus nimium oblectaretur, in uentris solutionem incidit sentiensque periculum moriturus in patria Viennam repetere statuit. iter ingressus, cum iam Strigonium preterisset, in Villa, que Longa dicitur, condito testamento VI Kal. Nou. decessit. *Vir. 58,19* Contracto ex insueto calore morbo et quia nimis 535 mellones uorauerat, inter redeundum obiit atque, ut cito creuerat, cito defecit. *HF 113A* Albertus apud Hungaros calore fessus et dissenteria comminutus uitam exhalauit. *Comm. 743,30* Intemperie locorum offensus morbum incidit breuique mortuus est, cum tribus non plenis regnasset annis, relicta uxore pregnante. 540

decessit HB 126F Princeps liberalitate ac fortitudine clarus et qui ceteris rebus longe religionis studium anteposuit. *Vir. 58,20* Fuit uir magne stature, uenationis cupidus, in armis promptus, facere quam dicere malebat, non ipse per se multum cernens, sed acquiescens consiliis eorum, quos bonos existimauit. nigra facie oculisque terribilibus, malorum omnium hostis. *W II,202* Albertus, quem Hungari atque Bohemi sibi regem delegerant et principes electores romano imperio 545 prefececerant, ut breui creuerat, sic breui decidit; uix enim biennio imperauit. obiit

⁵¹³ Synderouiam: v. 530; 1559. cf. Comm. 181,12: Est S. porta quedam ex Rascia in Valachiam. quo in loco multe sunt naucs ad fluuium transeundum et in alteram ripam descensus faciles. ⁵¹⁹ liberalitate: cf. 3101. ⁵²⁵ biennio: 18.III.1438-27.X.1439.

autem apud Hungaros dissenteria, cum fatigatus caloribus humectare nouis fructibus corpus uellet.

550 *Morauos Vir. 55,26* Morauiam et Austriam potenti brachio tutatus est, nec minora damna Bohemis intulit quam ab eis perceperat. unum Albertum Bohemi timuerunt.

555 *Polonos Vir. 56,27* Diffidauit rex Polonos obtulitque eis campum ante Tabor, ubi et castra posuit mansitque pluribus diebus, ut si collatis signis hostes pugnare uellent, copiam haberent; sed illi numquam in aciem sese explicuerunt.

6. Cognita regis morte* conuenientes Hungari indignum ac periculosum existimantes tantum regnum unius femine iudicio subiacerere, reginam magnis precibus hortantur, Vladislaum Polonie regem, qui populum armis tutetur, sibi ut uirum asciscat. consentit mulier ea
560 conditione adiecta, ne quod filio preiudicium fiat, si masculum pariat. legantur in Poloniam prelati ecclesiarum et principes regni natu et auctoritate maiores. quibus iter agentibus Ladislaus* postumus nascitur, qui mox, ut in lucem prodiit, apud Albam Regalem et baptismum, christiane fidei signaculum, et milicie cingulum et sacram Hungarie
565 coronam, quam mater penes se habuit, eadem die accepit. inde sublatus in tutela Friderici cesaris duodecim ferme annis fuit, cui mater et ipsum et coronam commendauit. legati, quamuis prohibente regina, Vladislaum* adiere, quem magnis pollicitis oneratum in Hungariam traxerunt et imposito diademate regem salutauere, quocum diu Ladislai mater uario
570 euentu armis contendit. Hungaris in duas partes diuisis* Vlricus* comes Cilie, dum consobrine studet Ladislaoque regnum defendit, captus a Polonis diu in carcere maceratus est. Dionysius* archiepiscopus strigoniensis, qui postea cardinalatus honore donatus est, genere ac moribus illustris, utriusque [63^v] regi diadema imposuit, alteri uolens, alteri coactus;
575 uocatus enim ad Poloniam, quamuis publica fide accepta Budam petiuisset, non prius libertati sue redditus est quam Vladislaum in Alba coronauit. ipse quam primum potuit domum reuersus Polonorum conatibus summo studio aduersatus est.

580 *morte W I.1,563 (Albertus)* relicta Elizabeth uxore pregnante breui tempore extinctus est. Hungari more hominum, qui nouitatibus oblectantur, reginam adeunt, regnum amplissimum multis hostibus circumdatum rege carere non posse dicunt, uiduam quoque nubere admonent. extorquent denique Vladislaum regem Polonie adhuc ephebum uocari. illa, etsi partum expectari cuperet, ubi tamen

⁵⁶² nascitur: 22 Febr. 1440. ⁵⁶⁵ eadem die: 15.V.1440. ⁵⁶⁶ tutela: Aug. 1440-52. v. HF 396C de institutione uitae Ladislai regis in curia Friderici. ⁵⁶⁸ traxerunt: 8.III.1440. ⁵⁶⁹ diademate: S. Stephani; 17.VII.1440. ⁵⁷¹ consobrine: v. 651; 842. ⁵⁷³ postea: 18.XII.1439. Errat Aeneas; erat enim iam cardinalis creatus. ⁵⁷⁶ libertati: v. 663; 891; coronauit: 17.VII.1440. ⁵⁸³ ephebum: XV annos natum.

precibus locum furor negat, oratores mitti annuit, qui Vladislaum arcessant eamque legem adiicit ut, si marem interea pariat, nulla legationi uis insit. dum legati
585 uiam faciunt, priusquam Vladislaum conueniant, pariente regina Ladislaus Alberti filius nascitur, scitulus infans et in orbe toto nobilissima progenies. scribitur legatis, ne quid ulterius attingant.

Ladislaus apud Albam Regalem ex Dionysii, strigoniensis archiepiscopi, manibus coronam, quam beati Stephani fuisse sacramque putant, inunctus recipit.
590 Nicolaus autem, uayuoda transsiluanus, militiam illi contulit eumque gladio cinxit. legati uero in Poloniam missi spretis regine iussibus siue corrupti auro (quis enim non munere uincitur?), siue teutonici nominis odio (nam raro inter uicinos concordia est), tamquam nihil de puero scirent, Vladislaum accedunt promissoque
595 regno secum in Hungariam ducunt. scinditur euestigio regnum. *ib. I.1,530* Cum de medio sublatus esset Albertus, in eius filium grassati sunt debaccatique Poloni. namque licet Elizabeth regina filium Ladislaum ex Alberto peperisset ac, uti moris est, diademate apud Albam Regalem decorasset, Poloni per quosdam Hungaros incitati rursus noua bella suscitauerunt mittentesque Wladislaum regem suum, admodum iuuenem et innocentem, regnum Hungarie usurpare conati sunt, cuius
600 magnam partem inuaserunt, ueri regis infantis, pupilli et orphani, iuribus insultantes, nescientes tamen quod, dum alienum regnum querunt, suum negligunt ac gentibus et pecunia exhauriunt. *Germ. 52,11 (Elizabeth)* Puerum Federico patrueli, Austrie duci, qui postea imperator assumptus est, alendum conseruandumque mittit, uerita ne Poloni aduentu interceptus occideretur. *W III,248*
605 Subtracto ab hac luce Alberto Romanorum et Hungarie rege legati insignes, quorum Ioannes tunc segniensis, ex post uaradiensis episcopus, princeps erat, Cracouiam ueniunt et exhibitis tam regine quam regni eiusdem prelatorum et baronum litteris *per uiscera misericordie Dei et per eius sanguinem* precantur dari sibi Vladislaum in regem et defensorem (10.IX.1453).
610

Ladislaus HF 113A Regina filium peperit, quem mox sacro fonte renatum Vladislaum uocauit, atque euestigio in Alba Regali Dionysius archiepiscopus strigoniensis coronauit, eumque militari balteo Nicolaus uayuoda cinxit. *W I.1,557 (Ladislaus)* 'Cum uirilem togam acceperit, te cardinalem, qui cum baptizasti, te uisprimensem episcopum, qui patri suo seruiuisti, te Nicolaum
615 uayuodam, qui militem eum fecisti, te Ladislaum banum, qui sanguine sibi coniungeris, te Giskram, qui eius partes indefesso animo semper defendisti, tamquam suos tutores ueneretur' (Oct. 1445). *ib. 578* Complures (*Hungari*) suum regem adiuerunt muneraque puero tradiderunt et, quasi diuinum aliquod numen intuerentur, genibus flexis multas lacrimas ante ipsum effuderunt. uisprimiensis
620 antistes 'O' inquit 'generosissime puer, dabitne unquam Deus, ut prius te in regno uideam quam hec senectus deficiat? cresce, puer, cresce. nemo te uiuo regnum tibi surripiet.' Dionysius autem cardinalis magnam auri coppam in manus regis dedit osculatusque 'Heu, quot' inquit 'pro te labores subiui, quot damna sustinui, quot me periculis obieci! sed omnia mihi dulcia forent, si te semel in regno uiderem.'
625

⁵⁹³ odio: v. 447. ⁶⁰⁸ Cracouiam: v. 3223. ⁶⁰⁹ per uiscera = Lc. 1,78. cf. Col. 3,12; Num. 24,17; Is. 60,1-2; Ml. 3,20. per eius sanguinem: cf. Eph. 1,7; Col. 1,14. ⁶¹⁷ Giskram: v. Vir. 107-10; infra 676.

mansitque triduo apud cesarem. *ib.* 183 Vos (*Dionysi*) cum aliquando in ulnis habuistis, quando coronam regio imponentes capiti 'Nunc dimitte seruum tuum, Domine' dixistis, 'quia uiderunt oculi mei salutare tuum.' *ib.* 184 Erat puer ultra quam dici posset formosus. nasum aui materni et frontem susceperat, oculos ex patre mutuatus fuerat, pectus et humeros ex utroque. cetera matris erant, oris paruo, *malis ad gratiam tumescentibus*, succi plenus ac plus lactis habens quam sanguinis, capillis crispis et in auri fulgorem nitentibus, risu cum uerecundia mixto, nihil in puero menda dignum. si nudum solumque in nemore quis reperisset, regium genus in puero cognouisset nec aut illi canis aut lupa defuisset nutrix, sicut de Cyro referunt atque Romulo (16.IX.1443). *cf. Germ.* 60,22.

Vladislaum W I.1,564 Erat Vladislaus adolescens, quamuis facie et corpore deformis, liberalitate tamen et animi magnitudine dignus laude. alloquebatur populum absque interprete; quos uirtute prestantes uiros nouit, muneribus sibi conciliauit. plura donauit quam sibi retinuit. itaque diues in modum regis, uideri tamen pauper poterat. nulli rei difficili atque periculose se ipsum negauit. quibus artibus et uulgi sibi et nobilium animos conciliauit (28.X.1445).

diuisis Comm. 744,5 Regni proceres prelatique in duas diuisi partes alteri Ladislaum, alteri Vladislaum regem esse dixerunt. regina Iaurini se continuit, ad quam omnes se contulere, qui Ladislaum regnare cupiebant, quorum princeps Vlricus, Cilie comes, ingentis spiritus uir et in armis clarus, partes aduersas magnis affecit cladibus. Federicus imperio prefectus, tamquam Ladislai tutor ab altera Hungarorum parte receptus, hostis Polono fuit. interuentu deinde Iuliani cardinalis Sancti Angeli, apostolice sedis legati, cum Turci Hungariam peterent, federa cum eo pepigit et indutias belli. *cf. infra* 672.

Vlricus HF 213A Vlricus cupiebat Ladislaum cesaris manum exire, qui sororis sue consobrine filius esset. sperabat autem — quod postea secutum est — illo in regnum redeunte omnium rerum se gubernatorem futurum. hoc tempore non longe ab anno quinquagesimo fuit, quamuis adhuc nutriendis crinibus operam daret, uir statura procerus, eminenti pectore, osse multo, carne modica, crure tenui, uultu pallenti, grandioribus oculis atque sanguinolentis, uoce rauca, alto corde, ingenio perspicaci, sed uario et inconstanti, neque labore fatigabilis neque libidine satiabilis, fidei promissorumque parum tenax, *simulator atque dissimulator*, alieni raptor, sui prodigus, dicendo agendoque iuxta promptus. matrimonii ius paruuducens alienis se passim mulieribus miscuit multarumque feminarum pudicitiam uiolauit.

Dionysius W III,250 Addis, (*Aenea*), Dionysium archiepiscopum strigoniensem et Ladislaum banum de Gara sub lege et litteris salui conductus Budam tunc aduenisse, demumque rupto federe pacis inibi captos et sub interminacione mortis, ut alter coronaret regem, alter eidem iuraret fidelitatem coactos. hoc ego (*Olešnicki*) lectitans supra modum miratus sum tam effrenem fingendi licentiam, qui illud ausus fuerit suggerere casto pectori tuo. aderam et ego illis diebus Bude. obuersatus sum illi prestantissimo cardinali et presuli. uidi eum debito honore exceptum plenaque libertate, quoad uoluit, ibidem moratum et nulla ui impulsam

⁶²⁷ Nunc = Lc. 2,29. ⁶³¹ malis: v. 213. ⁶³⁴ canis: v. Hdt. 1,110; W II,71. lupa: cfr. inter alia Liv. 1,4,6. ⁶⁵⁷ simulator = Sall. C. 5,4. ⁶⁵⁸ alieni-prodigus: cf. Sall. C. 5,4: alieni adpetens, sui profusus. ⁶⁶⁵ Olešnicki (Sbigneus): v. 3224.

fidelitatis prestitisse sacramentum et peractis per ipsum coronacionis solemnibus ad suos reuertisse penates. quod ita se res habuerit, idem ipse — adhuc enim uita fruitur — de se dicat testimonium. *cf. ib.* I.1,564. 670

7. Iulianus* cardinalis Sancti Angeli ab Eugenio pontifice maximo in Hungariam missus, uir summo ingenio, singulari facundia, excellenti doctrina, quamuis inducias belli inter Vladislaum et Elizabeth ad certum tempus composuit, pacem tamen efficere non ualuit. regina mortua* omnes pene Hungarie optimates ad Polonos defecere. solus Giskra* Bohemus, rei bellice peritissimus et manu promptus, Ladislai partes in Hungaria tutatus est, qui sepe cum parua militum manu ingentes Hungarorum Polonorumque copias uicit, fudit, deleuit bisque Ioannem Huniadem magnis exercitibus cinctum castris exiit. 675 680

Iulianus W I.1,12 Vir et nomine et re singularis. *ib.* 17 Hominum, quos habet etas nostra, sapientissimus. *ib.* 565 Facte fuerunt ad biennium indutiae, quibus cautum est nec partibus Ladislai regis per Vladislaum suosque dari nocumentum nec rursus turbari debere, qui Polonum sequerentur: si quis uiolator federis esset, hunc ambe partes compescerent. *cf.* 740. 685

mortua W I.1,565 Cum regina ad colloquium cum Polono uenisset nonnullaque pacis federa percussisset, ex matricis dolore, qui sibi familiaris erat, uitam et regnum amisit. quidam eam ueneno extinctam putauere, ut sunt homines in malas suspitiones prompti et ad criminandum magis quam laudandum nati (28.X.1445). 690

Giskra Vir. 107,25 Cum defuncto Alberto ab regina coniuge Ladislaoque eius puero Hungari deficerent polonumque regem sequerentur, (*Giskra*) solus ex omnibus ducibus, qui arma in Hungaria tenebant intrepido animo menteque stabili mansit in fide regisque Ladislai partes tutatus est. *W II,26* Giskra uir magnificus nostrique seculi non paruum decus, qui partes Ladislai apud Hungaros aut solus aut certe cum paucis usque in hanc diem tutatus est. *ib.* I.1,568 Giskra Bohemus presentiam regis Ladislai desiderauit. ad quem cum uenisset puerulumque conspexisset, collacrimatus est et 'Heu, quantos' inquit 'pro te labores subii, quot adiuu pericula, quantum sanguinis peridi. sed tu hec per etatem non intelligis. utinam tantum mihi uite datur, quod tu sensa eloqui possis et qui tibi cum fide seruiuerunt cognoscere.' nonnullaque munera puero contulit. tum Ioannes, magister camere imperialis, qui tunc forte aderat, 'Hic', inquit 'serenissime princeps, diu tuas partes in Hungaria tutatus est, hic tuus dux, tuus tutor, tuus defensor tuusque rector est. cur non sibi stipendium prebes?' ad hec puellus diuino quodam spiritu ductus apertis oculis, qui iuxta filacterias Ioannis pendebant, sex nummos recepit Giskreque tradidit, quos ille filo aureo ad collum suspendit et usque in hanc diem ob memoriam puerilis liberalitatis secum defert. *HB 129A* Ladislai manum exosculatus in hunc modum uerba fecit: 'Video te tandem teneoque, mi 700 705

⁶⁷² Iulianus = card. Cesarini, v. 887; 1047; 1625; 1661; 1762; 1837; 1878; 7717. Carm. 128. ⁶⁷⁴ inducias: Sept. 1442. ⁷⁰¹ Ioannes: Ungnad(ius). ⁷⁰⁴ diuino: v. 5650.

710 rex; si scires, que pericula propter te adiuui, quibus me laboribus implicui, quot
 aduerso corpore uulnera accepi. en cicatrices testimonio sunt, patri ego tuo tibi que
 uitam deuoui. nulla uis est, nulla fortuna, que alienare animum a te meum possit.
 officia mea sola tibi auferet mors. sed tu hec per etatem non intellegis.' et subridens
 'Quod' inquit 'mihi premium fidei ac laboris erit? et quod das militi tuo
 715 stipendium?' sextum tunc annum agebat Ladislaus. qui, postquam Giskra finem
 dicendi fecit, oculos huc atque illuc circumuoluens loculos Ioannis magistri camere
 suspiciens ex philacteria pendentes, qua ille nummos more theutonico pauperibus
 erogandos asseruabat, hanc tacitus arripuit eraque sex tantum (neque enim plura
 inuenit) illinc deprompta Giskre dono dedit. admirati omnes pueri factum et
 prouidum et liberalem futurum iudicauere. Giskra innexos postmodum auro
 720 nummos e collo suspendit regie gratitudinis monumentum.

Hic Ioannes* natione Valachus fuit, haud altis natalibus ortus, sed
 ingenio dextro et animo sublimi et uirtutis amator. multa cum Turcis
 secunda prelia fecit et hostium spoliis hungarica templa ditauit, primusque
 omnium apud Hungaros Turcorum acies et frangi et uinci posse mon-
 725 strauit. quibus ex rebus excitatus Vladislaus et ipse prelium cum Amurate
 Turcorum imperatore committere non dubitauit; de quo postea suo loco
 dicemus.

Ioannes HF 374C Erat hoc tempore regni gubernator Ioannes Huniades,
 uaiuoda transyuanus, haud magno genere natus sed animo grandi et consilio
 730 prouido, qui post Alberti regis obitum unus iudicatus est, qui regnum Hungarie a
 Turcorum inuasionibus liberauerit. sepe cum eis manus conseruit, sepe copias
 eorum fudit, multas intulit eis strages, militaria signa quamplurima ex eis domum
 retulit. bis tamen ab illis non sine maxima christianorum calamitate superatus est,
 semel sub Vladislao rege Polonie et Iuliano Cesarino, cardinali Sancti Angeli,
 735 apostolice sedis legato, qui tum perierunt, et iterum cum ductor ipse magnas copias
 haberet, cum uariensis et agriensis episcopi multique regni barones interierunt;
 nam duobus his preliis non minus quam quadraginta milia christianorum uel cesa
 uel capta creduntur. *Comm. 744,32* Confirmata est Huniati gubernandi potestas
 tamquam pro Ladislao regnaret.

740 8. Fedus inter Fridericum imperatorem et Vladislaum, qui se regem
 Hungarie appellauit, Iulianus cardinalis ea lege composuit, ut liceret
 imperatori Hungaros coercere, si quod in Austria Styria ue dampnum
 inferrent; idem permissum Vladislao est in Friderici subditos Hungariam
 infestantes. Guncium* oppidum in Hungaria est, Styrie [64'] atque Austrie
 750 proximum. hoc latrones occupauere et pleraque circumiecta castella, ex
 quibus in Austriam profecti magnam uim pecorum atque hominum
 abegerunt. motus ea re Fridericus comparato raptim exercitu in Hun-

⁷³² fudit: 1443 (Nis); 21-22.VII.1456 (Alba = Beograd). ⁷³³ bis: 10.XI.1444 (Varna);
 17.X.1448 (Kossovo).

gariam traiecit, munimenta expugnauit, ex latronibus octuaginta furca
 suspendit.

Guncium W I.1,497 Rex contra Guinisenses famosos latrones uiarumque 755
 spoliatores castra metabit (21.V.1445). *ib. 568* Gunzenses Hungari, qui plura
 latrocinia in dominiis Austrie commiserant, crudeliores sese dietim ostendentes
 mansuetudinem cesaris *ad iracundiam prouocarunt*. qui preparato exercitu intra
 paucos dies eos in muris clausit, obsidione cinxit et ad deditionem compulit 760
 (28.X.1445). *Vir. 109,3* Orsatius magnum dominium, quod habuit in Gunza, cum
 latrocinis intenderet, perdidit multumque humiliatus est. *ib. 71,9* Rex contra
 Gunzenses castra mouit, qui ruptis induciis patriam infestabant; erant autem in
 Hungaria. hos rex breui tempore cum pluribus circumuicinis castellis obsedit,
 expugnauit, cepit.

9. Cum cecidisset in bello Vladislaus, conuentus Hungarorum apud 765
 Pestam* habitus est. locus hic trans Danubium Bude opponitur, neque
 muris cinctus neque magnificis domibus exedificatus: uille speciem gerit.
 hic Ladislaus, Alberti filius, communi procerum consensu rex designatur
 suisque deinceps auspiciis in Turcos pugnare cepit, nec tamen feliciora eius 770
 prelia quam Poloni fuerunt.

Ioannes Huniades, regni gubernator assumptus absente rege pro-
 uinciam, ut aiunt, in uirga ferrea gubernauit nec, dum rex affuit, minor eo
 habitus est. hic prostratis apud Albam* Turcis (quemadmodum in rebus
 Rascie referemus) breui tempore superuiuens morbo extinctus est. ferunt
 eum, cum egrotaret noluisse Dominicum ad se corpus deferri, indignum 775
 esse aientem serui domum intrare regem. iussisse sese, quamuis de-
 ficientibus uiribus, in templum uehi ibique de more christiano confessum
 diuinam eucharistiam suscepisse, atque inter sacerdotum manus Deo
 animam reddidisse. felix spiritus, qui tante rei, quanta gesta est apud
 Albam, nuncius atque auctor migravit* in celum. 780

Pestam Comm. 747,21 Apud Pestam trans Danubium e regione Bude. *W*
I.1,507 Hungari apud ciuitatem pestiensem, que est pars Bude trans Danubium, in
 festo Sancti Georgii conuenientes unanimi uoto Ladislaum, Alberti Romanorum
 quondam regis filium modernique cesaris patruelem, in regem suum uocauerunt.
 super qua re mittunt ad maiestatem cesarcam oratores archiepiscopum stri- 785
 goniensem, Nicolaum uaiuodam, Ladislaum banum, Giskram et alios plures
 insignes prestantesque uiros ad numerum mille personarum (1.VI.1445). *ib. 568*
 Prelati baronesque regni conuenientes unanimo uoto Ladislaum Alberti filium in
 regem eligunt, uicarios regni ordinant, decreta pro communi pace faciunt et
 oratores nominant, qui ad cesarem petitori puerum destinentur (28.X.1445). 790
Comm. 744,28 Hungari Ladislaum regem acclamauere omnes missisque ad
 imperatorem legatis dominum suum coronamque petiuerunt, nec impetrare

⁷⁵⁸ iracundiam = Is. 63,10; 1 Esr. 5,13; 2 Esr. 9,26; Ps. 105,7. ⁷⁶⁵ cecidisset: v. 1831.
⁷⁷² gubernauit: 1446-53. ⁷⁷³ Albam: 22.VII.1456; v. 1607; 2197; 2223; 8516. ⁷⁷⁴ morbo:
 peste. ⁷⁸³ S. Georgii: 23/24 Apr.

dicente cesare nec tutum esse puerum extra tutelam suam emitti neque Hungaris utile a puero gubernari.

795 *Albam Comm. 113,26 (Maumethes)* remoratus apud Albam — Thaurinum uetustas dixit — sedente Calisto III, romane urbis antistite, a christianis cruce signatis, quos Ioannes Capistranius ordinis Minorum professor, opinione sanctitatis insignis, et Ioannes Huniades, hungarici regni gubernator, duxere, magnam stragem perpressus est, et campo deiectus turpem fugam arripere compulsus. *HB 138F* Huniades et Capistranius alter morbo, alter senio obiere, felices anime, quibus tam claro peracto prelio, tanto populorum fauore quesito, egra relinquere corpora datum est. *ib. 137C* Parua urbs et alioquin nobilis tantos eius conatus retinuit. Thaurinum appellauere maiores; nostra etas illam uocat Albam, ad confluentes Danubii Sauique sitam.

805 *migrauit HB 139B* Rex (*Ladislaus*) Alba relicta comitante Ladislao (*Huniadis filio*) Budam repetere statuit. inter equitandum ad oppidum Huniadum peruenit. ibi coniunx Huniadis obuiam facta est ob mortem mariti lugubri ueste induta, puellaeque, que circa eam erant, deiectis in terram uultibus, pullis amictibus merorem pre se ferebant. rex matronam complexus 'Indigna sunt' inquit 'hec uestimenta, que ob mortem uiri tui deferas. Ioannes Huniades *de morte tansiuit ad uitam*. ille Hungariam Christo, mihi regnum seruauit. christiani nominis hostes fudit, fugauit, perterruit. pacem Hungaris peperit, salutem cunctis fidelibus aperuit. fortia eius facta etiam hostes admirati sunt, et uitam et mortem posteritas consecrabit. in prelio strenuus, domi mitis, in bello uicit hostes, in egritudine seipsum superauit. consilio ac manu suas acies sustentauit, perfregit hostiles. ubi adesse extremum uite tempus agnouit et urgere uim morbi, non est passus Dominicum corpus ad se deferri; neque enim dignum existimauit seruum a domino uisitari. surrexit e lectulo quamuis labentibus membris et, cum deficiente uirtute suis pedibus ire non posset, in edem se uehi sacram iussit ibique de more christiano, 810 *si qua* extabant rerum humanarum *uestigia* sordium, confessione deterisit et sacrosanctam accipiens eucharistiam inter sacerdotum manus terrena fastidientem animam exhalauit. et quo illum migrasse credimus nisi ad eum, pro quo tot bella depugnauit? ad imperatorem suum perrexit fortis miles, cum Christo regnat, qui pro Christo tot periculis se obiecit. iam pridem debitum sibi celum tenet. non est, cur diuinitate fruentem lugere oporteat. congaudere gaudenti equius censeo. facessant intempestiue lachryme superuacaneique luctus. absit omnis meror, atque in primis lugubres habitus pullasque uestes exuite.' atque his dictis purpureas tunicas auro distinctas afferri iussit easque uidue ac filiis dono dedit. puellas quoque sua dignitate donatas mutare habitum imperauit totumque diem leticie dari. conuiuia demum splendide apparatus, inter epulas et uina saltatum cantatumque quasi celebres nuptie per lusum et iocum acte. his blandimentis allecti Huniadis filii nihil iam dudum ex cede comitis in caput suum uerti posse confidebant. itaque posito metu regem usque ad Budam secuti sunt aulamque in primis estimati cultique frequentabant. *cf. HF 464C.*

⁸¹⁰ de morte: cf. *Miss. Rom.* Offertorium Missae Defunctorum. ⁸²⁰ si qua = Verg. *E.* 4,13.
⁸²⁵ congaudere: cf. *Rom.* 12,15.

10. Ladislaus, qui ex tutela iam pridem imperatoris emissus et in paterna regna receptus Turcorum metu* ex Hungaria in Austriam se contulerat, audita Turcorum strage et gubernatoris morte, quocum Cilie comes apertum gerebat odium, impellente ipso comite, qui ueluti sublato emulo letabundus [64^v] id nuncii audiuerat, rursus in Hungariam rediit. sed dum apud Albam spolia Turcorum et interemptorum hostium cadauera inspicit, comes ipse, cuius caput erat a rege secundum et qui iam solus tamquam regis auunculus leges Hungaris perscribat, a Ladislao, Huniadis filio, in senatu regio obtruncatur*, inde necem consecutus, unde sperauit imperium. offensus ea re mirum in modum regius animus dolorem tamen suppressit nec dubitauit auunculum iure cesum fateri. cadauer defuncti in Ciliam missum est. rex Budam se contulit, ubi secutos curiam Huniadis filios in carcerem rapi iussit percussoremque comitis, Ladislaum, natu maiorem, capite plecti. Matthiam captiuum duxit in Austriam et profectus in Bohemiam eum pone sequi mandauit. ipse paucos dies Prage* moratus siue morbo pestifero, ut plerique tradidere, seu ueneno, ut alii affirmant, diem obiit*, nobilissimus* sanguis, paterna origine ac materna ex imperatoribus ortus. Matthias, qua die rex clausit oculos, eadem Pragam applicuit, quem Georgius* gubernator in custodiam suam recepit. corpus Ladislai apud proauum Carolum IV Romanorum imperatorem in arce pragensi atque in ede sancti Viti* reconditum est. 835

metu HB 138D Rex ubi aduenisse Turcas cognouit nec uires Hungaris esse, que tantam uim ferre possent, mobiles gentis animos ueritus neque satis tutam Bude moram arbitratus sub specie uenationis urbem egressus in Austriam propere se recepit. *cf. HF 461A.*

obtruncatur HB 139A (Vlricus Cilie comes) regem in Albam ducit hostium spolia recogniturum et campos uisurum, ubi prelia gesta, ubi barbara castra fuere. eam urbem Ladislaus Huniadis filius ualido presidio retinebat. qui uenienti regi, purpuratis togatisque portas aperuit, armatorum circiter quatuor milia ab ingressu prohibuit. hic, dum mora trahitur, rem diuinam spectante rege consilium de morte comitis in abdito conclauis proceres ineunt. uocatus eo comes, an iret aliquandiu hesitauit. exin diploide uix penetranda ferro indutus proficiscitur. uenientem Ladislaus proditorem compellat, qui patri sepe necem parauerit infensumque sibi regem reddiderit: nunc diem uenisse, quo scelerum penas luat. sunt, qui comitem prius arguisse Ladislaum dicant tamquam regi rebellem, qui eius armatos intrare oppidum uetuisset. illud constat comitem arrepto ex manu armigeri gladio Ladislai caput petentem nonnullos interiecte manus digitos amputasse. exorto clamore Hungaros irrupisse defendentemque se magno animo comitem multis confossum uulneribus obtruncasse. nec moratos ea nouitate regem percussum adeuntes

⁸³⁵ tutela: v. 566. ⁸⁴² auunculus: v. 570. ⁸⁴³ obtruncatur: 9.XI.1456; v. 2823. ⁸⁴⁸ capite: 16.III.1457. ⁸⁵⁰ ueneno: v. 961; 4151. ⁸⁵¹ obiit: 23.XI.1457. ⁸⁵⁵ reconditum: 25.XI.1457. ⁸⁷¹ digitos: v. 1615.

occisum regni hostem dicere, digna meritis premia reddita. rex, quamquam
 uehementer commotus erat tam atroci facinore, dolorem atque uim compressit nec
 dubitauit iure cesum comitem profiteri iussitque defuncti cadauer plastro
 impositum Ciliam deferri atque in sepulchris maiorum condi. *ib. 140D* Amici
 comitis regias aures dietim pulsare: illustrem principem, auunculum regium sine
 causa necatum conqueri, maiestatem grauissime lesam dicere, inultum tam atrox
 scelus relinquendum non esse, corrigendum audacem iuuenem, ac temerariam
 audaciam, nisi mature coerceatur, in furorem uerti. ausurum proculdubio etiam in
 regem qui regi proximum obruncauerit. in Ladislao et facta et meditata inueniri
 facinora ultimo supplicio digna. rex siue iis motus, siue suapte natura incensus iubet
 adolescentes captos in carcerem rapi. cum quibus et Ioannes, episcopus uaradiensis
 rate uirtutis ac facundie, et plerique alii comprehensi sunt, tamquam cedis comitis
 et insidiarum, que regi pararentur, conscii. episcopus uaradiensis multum instante
 cardinali S. Angeli, qui tum legatum apostolicum agebat, Dionysio episcopo
 strigoniensi, eidem quoque cardinali et pari legatione fruente, secundum canones
 iudicandus traditur. cum per Strigonium (*rex*) iter faceret, uocatum ad se Ioannem
 uaradiensem presulem bono animo esse iussit, iis uerbis usus: 'Cum essem Bude,
 feci quod uoluere barones; neque enim mei iuris eram. quod te cepi, illorum fuit;
 quod te supplicio culpaque libero, meum est. spectata mihi tua uirtus nihil de te
 sinistrum credi sinit. abi et quem gessisti hactenus episcopatum gere.' *cf. HF 463B.*
Comm. 747,6 Ladislaus ex Austria Budam uenit non tam hoste profligato letus
 quam Huniatis obitu, qui se potentior in Hungaria fuisset. descendit iam securo
 regno ad uisendam Albam et loca, in quibus pugnatum erat; ubi, dum missam audit,
 Vlricus Cilie comes a Ladislao, Huniatis filio, in consilio obruncatur sumpta
 occasione, quod suam a comite uitam didicisset inquiri. non est ausus rex damnare
 factum propter potentiam occisoris; dissimulauit ad tempus iniuriam, donec
 Budam rediit. ibi Ladislaum in arce deprehensum securi percussit et fratrem eius
 Matthiam in carcerem coniecit secumque deinde in Austriam et demum in
 Bohemiam captiuum duxit. at cum in Praga, que est Bohemorum metropolis,
 celebrare nuptias parat missis legatis, qui sponsam ad se deducerent Magdalenam,
 Caroli regis Francie filiam, subito morbo correptus interiit. *HB 143A* Nec me latet
 fama uulgatum esse idcirco regem apud Pragam nuptiarum celebrationem
 decreuisse, ut concurrentibus eo catholicis principibus potenti manu hereticos
 comprehenderent fidemque tandem Hussitarum infamie daret. id presensisse
 Rochezanam et Poggiebracium necemque regi pro sua salute machinatos. mihi
 quid horum uerius uideatur non facile dixerim neque certa pro incertis ausim
 affirmare; aliorum dicta recenseo et plura scribo quam credo. *HB 140E* Ladislaus
 quatuor et uiginti natus annos, egregio corpore adolescens, flauis de more crinibus
 super humeros passis, reuinctis post tergum manibus, talari atque aurea ueste
 indutus et eadem fortasse, quam sibi paulo ante rex donauerat, in publicum
 producitur. erecta ceruice, oculis hinc et illinc spectantibus, impavidus atque
 intrepidus ad supplicium pergat. ubi ad locum uentum est, quo ceruix amputanda
 erat, iussus genua flectere, pauca prius pro sua excusatione locutus carnifici paruit.
 prece, cui damnatorum crimina publicare mos est, imperato silentio nihil aliud

⁹¹³ donauerat: v. 828.

dixit, nisi eo modo corrigi, qui domino suo infideles essent. carnifex religata Ladislai
 coma, ne collum impediret, iussus percutere reum, nutans labansque uix tandem
 quatuor ictibus candidam ceruicem abscidit.

Prage Germ. 53,12 Praga est caput gentis, maxima et pulcherrima urbs nec
 etrusca Florentia minor nec deformior, uerum flumine intersecta, cui Moldaue
 nomen est, multo maiori quam sit Arnus. cuius regia inter opera Germanie est
 admodum excellens. *HB 83A* Praga regi pontificique honesta sedes neque minor
 neque ignobilior etrusca Florentia, tris in partes diuisa, quis nomina indidere
 Paruam Pragam, Veterem ac Nouam. Parua sinistrum latus Multaue fluminis
 occupat collique coniungitur, in quo sita est regia ac Sancti Viti pontificale
 augustumque templum. Vetus Praga in plano iacet, uniuersa magnificis operibus
 adornata, inter que pretorium et forum et letam curiam et collegium imperatoris
 Caroli mirificis efferunt laudibus; iungitur autem Minori Prage lapideo ponte
 quatuor et uiginti arcuum. Nouam Ciuitatem a Veteri fossa disiungit profunda
 utrimque munita muro et in quam facile fluminis aqua deriuari potest. hec quoque
 ciuitas ampla est et ad colles usque protenditur, quorum alterum S. Caroli, alterum
 S. Catharine appellant, tertium Vissegradum in arcis modum exedificatum, ubi et
 collegium est, cuius prepositum et cancellarium regni et principem uocant. *WI.1,*
443 Peto, ut mihi bibliam unam coemas. audio enim apud Bohemos hunc librum
 uenalem frequenter inueniri, propterea quod illa regio multis olim collegiis
 habundauit multisque bibliotecis propter uniuersitatem pragensis, que inter alias
 clarissima fuit. relatum est mihi plures presbiterculos esse, qui libros uenales habent
 et, sicut paupertas facit, non multum eris exigunt. quapropter te obsecro, ut, si
 possis, mihi Vetus Nouumque Testamentum compares in uno uolumine. me,
 secularibus litteris traditum, ad diuina prouocabis eloquia. ego iam senex sum nec
 me decent nec delectant seculares littere (31.X.1444). *ib. 352* Praga, splendor
 terre.

obiit HF 471A (cf. HB 141C) Ladislaus igitur X Kal. Dec. hora circiter XII noctis
 egrotare cepit. sunt, qui eum ulcere pestifero in inguine percussum, plerique
 nullum in eo pestis signum apparuisse asserunt. uerum mihi ita res conscripta est ab
 his, qui rem diligenter perscrutati sunt ac tum medicos audiuerunt. sederat in iudicio
 rex, quod de nobilitate inter Georgium gubernatorem et Czernahoram Morauum
 magnis contentionibus agebatur ita, ut alter alterum ad duellum prouocaret, neque
 de more suo rex uestes induerat; linea tantum indumenta susceperat et desuper
 persicum habitum, quem uocant schubam. id signum uidebatur animi presagientis

⁹³⁰ Caroli: v. 190. ⁹³⁷ uenalem: de libris uenalibus v. W I.1,306. ⁹⁴³ Praga: HB 86E: Primislaus (*Bohemia dux*) Libussam sibi matrimonio iunxit. nec diu moratus Pragense oppidum aggere atque muro cinxit. de cuius nomine dum disceptaretur, iussit Libussa ex artificibus, qui primo occurrerit, rogari quid ageret, ac ex primo uerbo eius uocari oppidum. interrogatus faber lignarius quispiam limen se agere dixit, quod bohemicis praha dicitur, indeque nomen urbi datum. sed corrupto uocabulo posteri Pragam dixere. ⁹⁴⁹ Czernahoram: v. 3134. v. HF 355C: Electus est dux militie Georgius Tsernahoras, baro morauus, domi nobilis et rei militaris expertus, uerum Hussitarum labe infectus et oculo altero carens; neque enim huius mortalis lucis plenam ei uisionem permittere Deus uoluit, qui fidei lumen integrum non haberet. *ib. 382A*: Capitaneus imperialis manum confossus est, ut, qui carebat oculo, manu quoque careret.

egritudinem neque toto auditorio regis facies uisa hilaris. dimisso tribunali cenauit
inter purpuratos, non quidem leto uultu, nihil tamen questus sermones compositos
955 habuit magis graues quam hilares. post multam noctem in cubiculum ductus
habuit afferrī iussit et siceram, comedit bibitque non tristis inter cubicularios, et
rapulas afferri miscuit. priusquam lectulo decumberet, orationem de more apud
sermones miscuit. ea finita grauatum se et stomachum dolere uehementer dixit.
geniales deos habuit. ea finita grauatum se et stomachum dolere uehementer dixit.

960 *HF 473B (cf. HB 142F)* De morte eius uarie sententiae fuere, nec defuerunt qui
ueneno extinctum dicerent. medici theutones, quorum potissima corporis cura
fuit, Viennam reuersi uulgauerunt, quamprimum egrotare rex cepisset, se uocatos
urinam inspexisse, in qua manifesta mortis ac ueneni signa comprehenderint.
neque ausos in aliena terra uulgare facinus; timuisse potentiam eorum, quorum
965 scelere rex periisset. accessisse se tamen regem et que inuenerant patefecisse
clanculum. respondisse illum non ignorare toxicum datum, iussisse tamen eos
silere, ne regie morti suam adicerent. senatus uiennensis medicos ea uulgare
amplius prohibuit. *HB 142F* Qui uiolentam mortem dicunt Poggiebracium et
Rochezanam criminantur. Poggiebracium tum regi fuisse infensum, cum ad
970 Danubium usque profectus Viennam ingredi noluit. non sine causa suspectum ei
regem fuisse. ab eo tempore regie uite paratas insidias. Rochezanam nunquam regi
placuisse idque palam factum, cum sacra ferentem contempsit. mihi quid horum
uerius uideatur, non facile dixerim neque certa pro incertis ausim affirmare.
975 aliorum dicta recenseo et plura scribo quam credo. illud constat preter Ro-
chezanam, cui regiam mortem nemo non acceptissimam iudicauit, et Georgium,
reliquos regni proceres extincto rege in magno merore fuisse et publicum toto regno
luctum, qui ad VII Kal. Dec. continuatus est. *Comm. 747,18* Quidam toxico
periisse tradiderunt, quod sibi Georgius regni gubernator propinauerit et he-
980 resiarche Rochezane ministerium. *W III,549* Ladislaus, quamuis esset undique
septus Hussitis atque ab his hominibus gubernaretur, qui ritum quandam habent
apostolice sedi contrarium, de communione calicis inter laicos, non tamen se polui
permisit. fugit ecclesias illorum et quasi pestem abhominatus est Rochezane
sermones. est enim Ioannes Rochezana princeps eorum, qui sub duplici specie
985 communicandum censent.

985 *nobilissimus Germ. 60,21* Nobilissimus adolescens Ladislaus, ex filia Sigi-
smundi cesaris et Alberto imperatore natus. sed hunc crudelissima lues VIII. Kal.
Decembris anno superiore apud Pragam, Bohemie metropolim, immatura et
acerbissima morte preripuit. quo moriente et nobis simul et multis gentibus
990 obtenebratus est sol. expectabamus felices nuptias et orbe toto nobiliores. iam enim
legati Margaretam accersitum ierant, christianissimi regis Francie Caroli ge-
nerosissimam filiam. sed dum altissimi sanguinis coniugium prestolamur, im-
maturum, pro dolor, funus extulimus eumque regem sepeliuimus, in quo suarum
miseriarum unicum solamen et Bohemi et Bohemi et Austriales et Sclesite et
995 Moraui reposuerant. nec christianus erat, qui non fidelium rei publice multa et
magna de tanto rege promitteret. sed illi sua mors uita fuit, qui ex obscurissimis

⁹⁵⁸ geniales deos: sacellum priuatum?
Magdalenam v. 903; 1071.

⁹⁷² contempsit: v. 4263.

⁹⁹⁰ Margaretam: lege

tenebris ad candidam lucem migravit. nobis eius obitus funestus est et deflendus,
qui tot regna, tot gentes, tot dominia suo priuata domino in bella cernimus et
crudeles itura strages. *sed leuius fit patientia quicquid corrigere est nefas.* hec non
potuimus ei regi uerba non consecrare, quocum puero diu uiuimus et a quo fuimus
supra meritum dilecti, cum inter scribendum eius nobis obitus enuntiaretur. 1000

Georgius HF 472A (cf. HB 142E) Rex (*moriens*) ad Georgium 'Tua mihi, Georgi,
iampridem cognita fides est, spectata uirtus. per te regnum mihi Bohemie in hanc
usque diem seruatum est. speraui potiturum me regno, quod ipse paraueras. nunc
contra superi iubent. mihi moriendum est. regnum in tua manu remanebit. duo ex
te peto: alterum, uti prouinciales iuste regas, pupillis, uiduis imbecillisque iniuriam
ne fieri permittas; alterum, ut qui me secuti sunt ex Austria ceterisque prouinciis in
patriam suam reuerti libere permittas.' non potuit tenere lacrimas gubernator
deditque fidem facturum se, quod rex imperasset. finito sermone accersiti
sacerdotes. de curatione anime actum est. intuens Crucifixum mortalis uite lumen
1010 reliquit. *HB 143A* Corpus in sinu proauis sui, diui Caroli Romanorum imperatoris,
sepultum. circumuectio per urbem more maiorum neglecta. *Comm. 145,7*
Georgius Poggebracius hussitarum partium fuit et eorum errore respersus, quorum
armis atque presidiiis regnante Ladislao, Alberti filio, regni gubernationem et illo
mortuo coronam arripuit uocatis ex Hungaria duobus episcopis, iaurinensi et
1015 uacciensis, qui se unctum coronarent. illi homini, qui hereticus censeretur, id
honoris negare, nisi errorem prius abiuraret et romani presulis obedientie se
subiiceret. Georgius seu uere, seu simulate (quod uero similis est) in penitiori parte
palatii uocatis nonnullis testibus atque tabellionibus Hussitarum heresim abiurauit
et apostolice sedis auctoritati iussionique sese summisit. cuius rei publica do-
1020 cumenta episcopi acceperunt atque deinde regem coronarunt, cui mox Bohemi
omnes paruere.

Viti HB 92D Brachium Sancti Viti, in cuius honorem cathedralis edes in Praga
constructa est.

11. Defuncto Ladislao rege Hungari ad eligendum successorem* ad Kal.
Ianuarias diem constituunt. proceres apud Budam frequentes conueniunt, 1025
inter quos Michael Zylagi magna militum stipatus caterua presto adest:
tredecim milia equitum, peditum septem milia eum secuta feruntur, quibus
statua in Pesta fuerunt. Michael frater coniugis Huniadis et Matthie
auunculus fuit; cui propter necem Ladislai nepotis cum plerisque regni
1030 baronibus acerrime simultates erant. [65'] his potentia eius haud paruum
ingessit terrorem nec iam percussa metu concio liberam regis electionem
futuram arbitrabatur. Michael uero conuentum adiens non se idcirco
armatos adduxisse ait, ut uim congregatis inferat, sed ut eos deterreat, si
1035 qui sint, qui libertatem principum ac popularium in assumendo rege
perturbare conentur; illud tantum se ueluti unum ex regni accolis monere,

⁹⁹⁸ sed leuius = Hor. C. 1.24,19-20. ¹⁰¹⁴ iaurinensi: Aug. Szécsi, 1445-66. ¹⁰¹⁵ uacciensis:
Vinc. Haraszti, 1450-74. ¹⁰²⁶ M. Zylagi: frater coniugis Ioannis Huniadis et Matthiae
auunculus. v. 1135; 1150; 1202; 1607. ¹⁰²⁷ tredecim: v. 1054 quatuordecim.

ut Ioannis Huniadis beneficia meminerint, qui unus omnium Turcorum
 arma ab hungarico regno depulerit clarasque genti uictorias pepererit.
 indigna suis meritis premia reddita: ex filiis eius alterum crudeliter
 1040 occisum, alterum in Bohemia captum seruari; posse barones memoriam
 Ioannis extollere, Matthiam ex captiuitate redimere atque in eius regni
 fastigio collocare, quod pater sua uirtute seruasset, neque ferendum, ut ad
 1045 exteros ea potestas deferatur; parcere se omnibus, qui nepoti fuissent
 insidiati; regni salutem ante oculos ponere; si quem prouincie utiliozem
 esse arbitrentur, nihil ob stare, quominus melior eligatur.

Fuit res aliquandiu anceps, cum baronum sibi quisque timeret. po-
 1045 stremo reconciliatione inter proceres facta, cuius auctorem Ioannem
 Sancti Angeli cardinalem, uirum doctrina et moribus excellentem, qui tum
 legatum agebat apostolicum, tradidere, Matthias octo et decem natus
 1050 annos IX Kal. Februarii inter quadraginta milia uirorum, qui medio in
 Danubio, tum glacie constricto, impatientes magni secreti electionis
 exitum expectabant, rex acclamatur.

successorem Comm. 747,21 Hungari cognita regis morte successorem electuri
 apud Pestam frequentes conueniunt trans Danubium e regione Bude. eo Michael
 1055 Silagi, auunculus Matthie cum quatuordecim milibus equitum se confert Mat-
 thiamque, Huniat's filium, regem proclamant. consentiunt omnes, cum libera non
 esset inter armatos contradicendi facultas: arma regem uel captiuum faciunt. mira
 res: Matthias ex carcere ad fastigium regni sublimatur, Georgius, qui et ipse
 regnum Bohemie usurpauerat, acceptis quinquaginta milibus aureis captiuum
 dimisit eique filiam despondit uxorem.

12. Nunc quisquis hec legis et futura predicito! singulare prorsus
 humane inconstantie documentum: ex duobus adolescentulis etate mo-
 1060 ribusque pene paribus alter [65^v] ex regio solio, dum noue nupte
 thalamum* exornat, defertur ad tumulum, alter, dum capitale iudicium
 1065 trepidus manet, ex carcere uocatur ad regnum*. libertas eius ex gu-
 bernatore Bohemie sponsalitiis atque aliis pactionibus empta refertur.
 mirabile, quod matrem repentina letitia non exanimauerit, cum tot
 cladibus afflicta filium prius regem appellatum audiuerit quam uinculis
 exemptum.

thalamum HB 140F In Austria de coniuge regi tradenda diu cogitatum. multe
 1070 uirgines offerebantur tantum coniugium expetentes. uerum nobilissimo regi, que
 coire merito posset, nulla dignior uisa est Magdalena, Caroli regis Francie filia, tum
 propter etatem conuenientem, egregiam formam, pudicos mores, tum propter

¹⁰³⁹ occisum: v. 900; 920. ¹⁰⁶⁴ captum: v. 902.
 quindecim. 24.I.1458.

¹⁰⁴⁸ Matthias: I Corvinus. octo et decem: lege
¹⁰⁶⁵ gubernatore: v. 853. sponsalitiis: Katherina, filia Po-

sanguinis excellentiam raramque nobilitatem et maiorum eius late gloriam. *ib.*
 141C Instruebantur regie nuptie maximo sumptu, splendidissimo apparatu; im-
 1075 perator et augusta uocati, ambe regis sorores cum uiris eam celebritatem accessure
 ferebantur. Saxonie, Baioarie, Slesie, Franconie, Rheni principes, multi quoque ex
 Gallia reguli uenturos se promiserant non solum nuptias ornatos sua presentia,
 uerum etiam de tuenda republica christiana contra Turcas acturos. sed hos tantos
 1080 cogitatus, has pulcherrimas institutiones, tantum rerum ordinem immatura mors
 ac repentina regis interrupit. *cf. HF 470B.*

regnum HF 476B Mathias magnis sponsonibus dimissus ex carcere ad regnum
 euolauerat. mira rerum mutatio et nouus siderum influxus: duo potentissima
 regna, eodem tempore rectore carentia, ex nobilissimo atque altissimo sanguine ad
 mediocris fortune homines peruenerunt.

13. In parte Hungarie, que trans Danubium in septentrionem por-
 1085 rigitur et nunc Sepusium uocant (olim Gepide consedere), insignis latro
 Axamites*, natione Bohemus, Hussitarum pestifera labe infectus, milites
 predandi cupidus undecumque ad se uenientes benigne collegit eosque
 1090 fratres appellauit, et uniuersam regionem illam tributariam sibi reddidit
 exedificatis munitionibus locis opportunis, ex quibus modo in unam, modo
 in alteram partem discurrere posset. predas in fine cuiusque mensis uiritim
 diuisit; ex quibus non plus accepit qui totum mensem quam qui diem unam
 1095 ante diuisionem in castris fuit numero fratrum ascriptus. id sibi ex
 euangelio preceptum affirmauit, quod in uinea Domini laborantibus et qui
 prima hora et *qui undecima uenerant* equam mercedem promittit. hec
 1100 societas, cum longe lateque rapinas ageret et iam quinque milia pu-
 gnatorum in armis haberet in diesque cresceret, non aliter dissipari potuit
 quam duce ipso Axamite ad stipendia Ladislai regis uocato.

Axamites W III,192 Inter montes ac siluas, que Hungariam Poloniamque
 1100 disterminant, diu latrocinatus est Bohemus quidam, cui nomen Axamit, quod latine
 'uillosum siricum' sonat. obscura domo, obscuris parentibus ortus, sed audax
 homo, manu promptus, periculi contemptor, cuius multa facinora referuntur. hic
 postquam Giskram amotum audiuit terramque milite uacuum agnouit, congregata
 1105 non parua latronum manu in eam regionem uenit duabusque arcibus natura et arte
 munitis aut ui aut dolo receptis, mox ruricolos apertis uillis commorantes ferro
 atque igne deterritos ministrare uictui necessaria, pecunias menstruas dare sibi
 ad omnem nutum parere compulit, ciuitates quoque munitas sibi tributarias
 reddidit. *ib. 194* Quinque milium pugnatorum conflato exercitu iam non Sepusinis

¹⁰⁸⁴ mediocris: Matthias et Poggiebracius. ¹⁰⁸⁶ Sepusium: v. 113; W III,190: Giskra
 Bohemus, non alto loco natus, multa ui animi et corporis eam regionem (*Sepusium*) sibi
 subegit, multa ibi prelia uaria fortuna confecit, sepe cum paucis magnas hostium suorum
 copias fudit, sepe uictor, raro uictus. ¹⁰⁸⁷ Hussitarum: v. 4144. ¹⁰⁹⁴ euangelio: Mt. 20, 1-16;
 ib. 9. ¹¹⁰⁸ Sepusinis: v. 113.

tantum, sed uniuersis Hungaris terribilem formidabilemque se prebet neque
 1110 Ioannes Huniat gubernator huius hominis impetum compescere potest, cui et
 nonnulli barones occulte manus porrigunt (Iun./Iul. 1453).

II

14. TRANSILVANA regio est ultra Danubium sita, quam Daci quon-
 dam incoluere, feroces populi et multis Romanorum cladibus insignes.
 1115 nostra etate tres incolunt gentes: Theutones, Siculi et Valachi.
 Theutones* ex Saxonia originem habent, uiri fortes et bello exercitati, a
 septem ciuitatibus, [66'] quas inhabitant, Sibemburgenses patrio sermone
 appellati.

Theutones Germ. 46,2 Fatemur, bellicosi et in armis exercitati Theutones
 1120 habebantur.

Siculi Hungarorum uetustissimi creduntur, primi omnium, qui ex
 Hungaria ueteri in hanc prouinciam uenerint. eam ob causam, quamuis
 agros suis colunt manibus ac rure uiuentes greges pecorum pascunt, no-
 biles tamen appellantur, et occurrentes inuicem alter alterum 'generosum
 1125 dominum' salutant. nec tributa pendunt nisi quo anno rex Hungarie
 coronatur; tunc enim quot sunt patresfamilias, tot boues regi tradunt;
 quorum numerum supra sexaginta milium esse ferunt. iussi uero in bellum
 exire nisi pareant, capitali pena plectuntur, bona fisco applicantur.

Valachi genus italicum sunt, quemadmodum paulo post referemus;
 1130 paucos tamen apud Transiluanos inuenias uiros exercitados hungarice
 lingue nescios. in hac prouincia oppidum fuit, quod Bistricium* uocauere,
 regie corone subiectum. id Ladislaus rex, cum Vienne ageret, Ioanni
 Huniadi dono dedit. tulerunt id egre oppidani diuque resistere; coacti
 1135 tamen imperata fecerunt. at mortuo Ioanne eiusque filio Ladislao Bude
 occiso Michaellem Zylagi, qui pro Matthia, altero Ioannis filio, regnum
 petebat, turpiter reiecerunt. ille indignatus quam primum Ladislai regis
 mortem accepit, eo cum exercitu rediit, ui oppidum expugnauit, rebellium
 ciuium aliis oculos eruit, aliis manus amputauit, aliis necem gladio intulit,
 oppidum incendio deleuit.

1140 *Bistricium HB 132D* Ioannes Huniades comitatum bistricensem regia be-
 neficentia consecutus haud aliter quam principes consueuere noue dignitatis
 insignia suscepit. *W III,272* Transiluanii, quos Ladislaus rex Ioanni gubernatori

¹¹²⁹ post: v. 1221.

¹¹³¹ Bistricium: v. 2975.

regni ob rem publicam bene administratam dono dederat, indignati ex mutatione
 1145 dominii, qui sub corona potius quam sub Ioanne malunt esse, parere nouo domino
 nolunt armisque se contra eum tuentur (25.IX.1453).

Ingressi sunt paulo post Transiluanam Turcorum circiter tria milia
 predamque magnam abegerunt pecorum atque hominum; quos insecuti
 Sibinienses, et ipsi Theutones, ad internitionem usque deleuerunt uic-
 toresque preda recuperata domum rediere. uix ciuitatem introierant, cum
 1150 Michael ex alia parte haud paruas ducens copias affuit ciui[66']tati exitium
 parans, que Bistricensibus aduersum se opem tulisset. sed cum Sibinienses
 intra munitissimam urbem se continerent, frustratus desiderio suo mi-
 nabundus recessit.

15. Apud Hungaros obiit etate nostra Paulus Vergerius* Iustino-
 politanus grecis ac latinis litteris apprime instructus, cuius plura extant
 1155 opera ab eruditis probata. Arrianus, qui *Alexandri Magni gesta* greco
 sermone conscripsit, latinus ab eo redditus est hortatu Sigismundi cesaris.
 scripsit *De ingenuis moribus*, grecas ac barbaras amicicias comparauit.
 aduersus Malatestam, qui Maronis statuam ex foro mantuano deici
 1160 iusserat, nobilem inuectiuam edidit.

Paulus Vergerius OO 951C Paulum Vergerium (*sc. librum translatum*), qui
 Arrianum transtulit, cum superioribus diebus (1454) ad inclytum Alphonsum Sicilie
 et Aragonie regem mitterem, iussi eum in tuas manus dari ac per se reddi maiestati
 1165 regie. *W III,433* Stilus neque altus neque admodum ornatus est, quamuis esset
 Paulus et facundissimus et elegantissimus, sicut eius edocent cetera que scripsit
 opera. sed uoluit in hoc Sigismundo cesari morem gerere, cuius iussu Arrianum
 transtulit: neque enim sermonis capax sublimioris erat Sigismundus. Paulus, ut
 1170 uidebis, senio contractus est et ad sepulcrum festinat. tuum (*Antoni Panormita*) est
 curare magno uati et tui simili, ut exequie digne fiant. *ib. 436* Volumen est
 papyreum, lacerum et uetustate consumptum. prima editio est Pauli, sua manu
 1175 conscripta (26.I.1454). *Comm. 599,8* (*Sigismundus Malatesta*) cum Mantue
 degeret magni Maronis statuam, quam suo ciui Mantuani quondam erexerant, sub
 obtentu religionis euertit. quod Paulus Vergerius Iustinopolitanus, eius temporis
 orator insignis, scriptis suis detestatur et dolet atque ad hipocresim transfert siue
 rudem hominis ignorantemque mentem, qui gentilis hominis statuam putauerit in
 christiano populo idolatriam gignere.

¹¹⁵⁶ gesta: *Anabasis*. cf. G. Voigt, *Wiederbelebung des classischen Altertums*, II, p. 176. Berlin
 1893. ¹¹⁵⁸ *De ingenuis moribus et liberalibus studiis adolescentiae*, ed. A. Gnesotto,
 Padova 1918. ¹¹⁵⁹ Maronis: v. Voigt, *Wiederbelebung*, I, p. 573. ¹¹⁷⁴ detestatur:
Epistolario di P.P. Vergerio, ed. L. Smith, Roma 1934, p. 190.

3095 spicax; memoria tenacior; religionis ardens zelus; ingens cupiditas pacis et
ocii. singularem uirtutem in quouis homine diligit dignamque premio
ducit. edificat splendide, ortos tamen ac gemmas plus equo admiratur et
amat. et in rebus gerendis tardior ac remissior est. tenacem plerique
accusauerunt et *ad rem* nimis *attentum**. id fecere proximi antecessores
3100 Sigismundus atque Albertus cesares, quorum [93^o] prodigalitati cuiusuis
comparata liberalitas uideri auaritia potest. ceterum Fridericus nec sua
profundit nec aliena diripit uerbis factisue temperans.

83. Albertus frater eius longe dissimilis: celer in aggrediendis rebus, belli
ac glorie appetens, periculi contemptor, audax, laboris patiens, manu
3105 atque ingenio promptus, pecunias inter amicos partitur ac profundit; inter
opes pauper, in paupertate diues, nullius rei magis quam fame auarus.

attentum DF 487A16 Ioannes S. Angeli cardinalis natione Hispanus, cum in
Austriam sedis apostolice legatus uenisset cognouissetque Frederici cesaris, qui
reditus et qui sumptus essent, 'Rumor erat' inquit 'Fredericum ad rem nimis
3110 attentum esse. at meo iudicio perliberalis est, qui facultatibus sumptus metitur.
ceterum Sigismundus et Albertus, qui ante eum imperauit, Bohemie et Hungarie
ditissimis regnis preuerunt, propemodum prodigi principes, largitatem eius
obfuscant.' *cf. W.I.1,349-50. HF 183B* Albertus, Austrie dux, germanus Friderici,
uir animo excelso et moribus egregie preditus, sed profusior aliquantulum quam
3115 patrimonii uires ferrent, dum suos egere uetat amicos, in egestatem ipse prolabitur.
W.I.1,395 Albertus nobilem quandam adolescentem nudius sextus ad me misit
anuloque per illum aureo et insigni smaragdo me donauit, qui lapis in asiatica
Scythia reperitur in terra. magnum est mihi hoc donum nec meis ex digitis unquam
3120 exhibit, nisi me forsitan aliquando Glycerium uisitauerit; diligit enim pudicitiam lapis
hic et maris atque femine concubitus odit (4.VII.1444). (De Glycerio v. *W.I.1,116*;
155; 164).

XXIII

84. PROCEDENTI per Austriam in aquilonem Morauia occurrunt, gens
ferox et rapinarum auida, inter Hungaros Bohemosque trans Danubium
3125 sita. hanc prouinciam euo nostro Sigismundus imperator Alberto genero
suo, qui postea imperauit, dono dedit. rebellantem et imperata facere
recusantem Albertus magnis affecit cladibus; nam supra quingentas uillas
una excursionem combussit, mortales multos neci dedit, pecus pene omne
abegit iugumque ferre perfidam gentem coegit.

3130 In hac prouincia ciuitates et oppida romane ecclesie ritum tenent et
catholice fidei consentiunt, barones ferme omnes Hussitarum labe infecti
sunt. hic cum uerbum Dei predicaret Ioannes Capistranius et in errores

³⁰⁹⁸ tardior: Carm. 58,5: Saturni tardior astro.
³¹⁰¹ liberalitas: v. 216. ³¹²⁶ dono: a. 1423.

³⁰⁹⁹ attentum = Ter. *Ad. V.3,48; 8,31.*

Hussitarum uehementius inucheretur, baronis non parui nominis, quem
Ezernahoram uocant, secuta conuersio est. qui relicta priore perfidia cum
3135 duobus milibus subditorum ueritatem romane sedis amplexus est. filius
eius, doctrina et moribus clarus, non diu postea olomucensis* ecclesie
pontificatum obtinuit. ea est unica ciuitas Morauorum episcopalis.

olomucensis Germ. 27,21 Olumicensis ecclesia Morauorum mater. *ib. 28,27*
Olumicensis ecclesia sub Calixto uacans Protasio, nobili adulescenti et litteris
3140 apprime erudito, quem canonici petiuerunt, commissa est. nam, quamuis pater
eius olim ecclesiam persequeretur Hussitarum labe infectus, predicante tamen in
Morauia Ioanne Capistrano, sanctissimi nominis theologo, cum omni familia sua
heresim abiurauerat, ex persecutore religionis tutor effectus. *ib. 53,11* Brunna in
Morauia nobilior Olomutio est, quamuis eius pontifici pareat.

Regnum inter Morauos* aliquando fuit latissimum ac [94^o] poten-
3145 tissimum, quod usque ad filium Suatocupi* durauit, cuius fortunam in
Bohemica conscripsimus *Historia*. at cum filius Suatocupi ecclesiam Dei
sperneret, regnum genti ademptum est, quod postea romani cesares in
Bohemiā transtulerunt. in hac prouincia complura sunt oppida plena
3150 populo et opibus abundantia, inter que Brunna principatum obtinet et
Znoyma, Sigismundi obitu memorabilis. hac nulli transitus patet nisi
armato potentiorique, latronibus omnes aditus obsidentibus.

Sermo genti mixtus est theotonicus ac bohemicus. superant tamen
3155 Bohemi, quorum est regionis imperium.

Que gentes olim Morauiam incoluerint, non facile dixerim. quantum
uero ex lectione Ptolomei accipere licet, *Marcomanni* et *Sudini Candique*
Morauiam et Austriam, que trans Danubium iacet, incoluisse uidentur.

Morauos HB 90E Morauia trans Danubium iacet, cui ad orientem Hungari
Polonice regnum possident, Moraua disiuncti amne, qui nomen regioni dedit.
3160 occidentem solem Bohemi excipiunt, Australes meridianum, septentrionale latus
Slesite occupant. ager uini frumentique ferax, gens rapinis assueta nulli tutum iter
nisi armato potentiorique prebet. hic multos annos regnatum. Hungari, Bohemi,
Russani Polonice Morauorum principi paruuerunt, princeps ipse romano imperio.
caput regni ciuitas Volegradensis.

Suatocupi HB 90E Suatocopus Morauis imperabat, christiane religionis cultor
3165 et dignus, cuius memoriam ad posteros referamus. cum aliquamdiu feliciter
regnasset, tandem Arnolpho imperatori tributum pendere recusans commisso
prelio, cum suos cadere animaduertisset, clam sese pugne subtraxit atque, ut erat,
mutata ueste incognitus salutem fuga quesiiuit. Arnolphus uictoria potitus regnum
3170 Morauie Suatocopii filio, quem de sacro fonte leuauerat, possidendum reliquit. fuit

³¹³⁵ filius: Protasius. ³¹⁵¹ Znoyma: v. 315. ³¹⁵⁶ Ptolomei: 2.11,25-26 (35^o) Candique: *lege*
Quadique.

autem Suatocopii filius, quamquam christianorum sacris imbutus, minus tamen quam decuit sacerdotes Dei ueneratus. mortuo rege imperii Morauorum partem Theutones ac Bohemi, partem Poloni atque Hungari diripuerunt.

XXIV

3175 85. SLESIA post Morauiam sequitur, haud ignobilis prouincia, quam
fluuius Odera perlabitur, inter amnes Germanie late cognitus. fontes eius in
Hungaria, que Slesia ad orientem iungitur; mare baltheum cursum
terminat. longitudo regionis ducenta ferme passuum milia continet,
3180 latitudo circiter octuaginta. caput gentis Vratislauia* est, amplissima
ciuitas ad ripam Odere sita, priuatis ac publicis edificiis magnifice ornata,
cuius episcopatum maiores nostri aureum uocauerunt; Hussitarum bella
luteum reddidere. in hac urbe regnante apud Bohemos Venceslao orta
3185 seditione consules, quorum prima potestas est, per fenestras ex pretorio in
forum precipitati, gladiis ac lanceis irate plebis excepti, dirum spectaculum
prebuerunt; cuius rei auctores Sigismundus [94^r] imperator paucis post annis
securi percussit. duces Slesie multi numero, inter quos paterna hereditas
per capita diuiditur. hinc scissa multas in partes prouincia frequentes
3190 calamitates incurrit, crebris exposita latrociniiis. inter hos duces unum
esse ferunt (nomine Bolconem Opoliensem appellant), qui Glogouie
residens deliciis ac uoluptatibus deditus usque adeo insaniuit, ut neque
inferos neque superos esse diceret animasque cum corporibus simul
prorsus interire putaret. ecclesiam uel numquam uel raro ingressus est.
3195 sacramentis christianis prorsus abstinuit nisi quod abusus matrimonio
uxore, que sibi ingrata esset, relicta alteram superduxit que, ne pellex
appellari posset, non nisi per solempnia matrimonii coniungi uoluit.

Slesite sub imperio Bohemorum constituti sunt; nunc tamen imperata
facere detrectant. Georgium nouum regem admittere recusantes Vilhel-
3200 mum Saxonie ducem secuti, qui regnum Bohemie ad se pertinere affirmat
propter coniugem, que Ladislai Hungarie atque Bohemie regis soror fuit.
gladius* eius litis arbiter erit.

Sermo gentis maiori ex parte theotonicus est, quamuis trans Oderam
polonica lingua preualet. ob quam rem non immerito quidam hoc in loco
Germanie terminum esse Oderam putauerunt, quamuis idem fluuius in
3205 septentrionem uergens germanicas gentes ripis ambabus alluit.

3205 Vratislauia HB 89A (Vorcio) duo fuerunt filii, Vinslaus et Vratislaus. ex Vinslao
natus est Grezomislaus, qui et Neclam dictus est, unicum timoris et pacis
exemplum. cuius ignauiam in animo uoluens patruus (Vratislaus) optimum

³¹⁷⁷ mare baltheum: HB 97B.
³¹⁹⁷ iugem: Anna. v. 2888.

³¹⁹⁷ Georgium: Podiebrad. ³¹⁹⁸ se: v. 3946; 3973. ³¹⁹⁹ con-

instrumentum ad subigendam sibi Bohemiam ratus arma mouens plura aduersus
3210 cum bella feliciter gessit. quibus magnificatus et auctus urbem condidit inter duos
montes Mechiam et Pubecham, quam de suo nomine Vratislauiam nuncupauit.
Germ. 28,26 Ad Oderam fluuium, quem plerique Germanic Sarmaticque terminum
esse uoluerunt, insignis ecclesia uratislauiensis iacet, Slesitarum mater atque
3215 regina. ib. 53,11 Super Oderam Vratislauia iacet, urbs latericia ac non minus decora
quam potens, cuius olim episcopatum aureum appellauerunt. ib. 59,20 Vrati-
slauensem episcopatum aureum quondam appellauerunt, sed hunc quoque Hus-
sitarum uesania extenuauit. hic canonici, dum canonicas horas canunt, rubeis
cappis ornati cardinalium romane ecclesie morem tenent.
gladius HB 143C Nobis persuasum est armis acquiri regna, non legibus.

Libet in hac parte Germanie linquere fines et ad orientem ac sep-
3220 tentrionem sarmaticas inuisere gentes.

XXV

86. POLONIA uasta regio est, que Slesie ad occidentem proximat,
Hungaris, Litanis ac Prutenis contermina. hic Cracouia est precipua [95^r]
3225 regni ciuitas, in qua liberalium artium schola floret. Sbigneus* huic urbi
prefuit, episcopus litterarum doctrina et morum suauitate insignis, a quo
plurimas accepimus epistolas multo sale et romana elegantia conditas. cui
ob singulares uirtutes romana ecclesia insigne cardinalatus honoris,
rubentem pileum, misit.

Sbigneus WI.1,527 Animus illi magnus est, sed rectus. non solum que presentia
3230 sunt disponere nouit, sed futura longe premeditatur, neque prodigus est, ut indignis
largiendo facultates Ecclesie dissipet neque auarus, ut indigentibus non porrigat
manum. sed est elemosine dispensator domusque sua claris hospitibus semper
patet. quicumque Poloniam ingrediuntur, oratores aut uiri prestantes, hunc
3235 adeunt, hunc patronum habent, ab hoc honorantur donanturque; in quibus rebus
uera liberalitas recognoscitur. est in eo clara facundia, multe in ore eius facie
multusque lepos. non elatus est, non iracundus, non exactor pecuniarum, non
uindictae cupidus, sed mansuetus, benignus, periculi declinator atque contemptor,
amator patrie sue et aliene non inimicus. Somn. 556 (Sbigneus) perfulgide uite et

³²²⁴ schola: uniuersitas jagellonica, condita a. 1364. Sbigneus: cf. Comm. 204,12. ³²²⁶ epi-
stolas: W II, 161: Epistolas meas (= Aeneae), quibus amicos alloquor, tibi ut ederem, sepius
flagitasti. uolui tuo desiderio morem gerere. commisi librario meo, non, ut optarem, terso,
opus ut transcriberet. duo sunt epistolarum uolumina. comperi alterum uolumen absolutum.
hoc correxi dignationique tue mox transmitterem, si baiulus esset fidus. habet liber sexternos
duos de uiginti; nugae quamplures continet, quas dum lego mei me pudet. (16. VII.1450). una
sola Sbignei ad Aeneam nobis tradita est: W III, 245-53. cf. ib. I.1,144-46; 526-32; III, 8-10; 315-
47; 485-6. multo sale: cf. Hor. Sat. 1.10,3. elegantia: cf. Cic. Brut. 75,261; de Or. 2.7,28.
³²²⁷ romana ecclesia: Eugenius IV, 18.XII.1439; contra 3240; 5547.

regno fuerat eiectus, a Christigerno nouo rege in carcerem rapitur prescripta causa, quod se quoque conspiratione popularium, sicut et predecessorem, statuisset eiicere.

XXXIV

4140 118. BOHEMORVM modo res gestas attingere ac situm referre locorum ratio exigeret, qui Saxonibus ad meridiem iuncti sunt. multa apud eos etate nostra memoratu digna emergerunt, multa prelia gesta sunt, multus ibi sanguis effusus, delete funditus ciuitates, sprete et conculcata religio. exorta* est Hussitarum* heresis, Adamitarum* pullulauit insania, debaccati sunt Thaboritarum* et Orphanorum exercitus; *duo fulmina belli*, Zyska* et Procopius* prouinciam ex arbitrio suo diripuere. Ioannes* ac Hieronymus populum decipere; in constan[108^v]tensi magna synodo demum combusti. Iacobellus*, Coranda*, Rokezana* et Petrus* Anglicus, euangelii corruptores, tamquam magistri ueritatis habiti. quatuor reges extirpare pestiferum uirus non potuere: Venceslaus, Sigismundus, Albertus et Ladislaus*, qui apud eos ueneno extinctus creditus est. postremo Georgius* rex creatus, qui Hussitarum labe infectus putatur, magnus uir alioquin et rebus bellicis clarus. sed omnia hec in *Historia*, quam *de Bohemis* his diebus edidimus, conscripta sunt. ibi quoque de situ* regionis et gentis moribus* pro captu nostro mentionem fecimus. inde igitur assumendum erit quidquid huic operi de rebus bohemicis deesse uidebitur. nos ceptum sequentes iter inferioris Germanie prouincias absoluemus. deinde ad superiores reuertemur partes.

4160 *exorta Comm. 561,16* Surrexisse in Bohemia uiros pestiferos, qui prime sedis mandata dicerent contemnenda et, ad suum sensum sancta interpretantes euangelia, *sanam doctrinam* respuerent: Iacobellum, Ioannem, Hieronymum, Corandam et Rochezanam, quorum peruerso dogmate infecta regni multitudo ab obedientia sui pastoris abierit et archam Noe reliquerit, *extra quam non inuenitur salus*, dicens communionem sub utraque specie ad salutem necessariam esse, et multos alios errores predicans.

4165 *Hussitarum W II,167* Non omnes Bohemos huius insanie participes dixerim; multi namque fidem inconcussam retinuerunt. auctorem huius hereseos Ioannem quendam Viclef, Anglia natum, referunt, qui libris Occham deditus plenos errorum ac blasfemiarum tractatus composuit. qui Pragam delati atque, ut noua solent opera, cupide lecti multorum mentes excecauerunt. *cf. ib. III,22-57; Comm. 388,20.*

⁴¹⁴¹ exigeret: v. 4153 sed. ⁴¹⁴⁵ fulmina = Verg. A. 6,842. ⁴¹⁴⁸ combusti: 6.VII.1415. ⁴¹⁵¹ ueneno: v. 850. ⁴¹⁵⁴ his diebus: v. Prolegomena § 6. conscripta: HB 102F-120F. ⁴¹⁶¹ sanam doctrinam = 2 Tim. 4,3. ⁴¹⁶³ extra quam: Cyprianus *Ep.* 73,21: salus extra ecclesiam non est. CCL III,2 p. 555.

Adamitarum HB 109B Pichardus quidam ex Gallia Belgica transmisso Rheno per Germaniam in Bohemiam penetrauit. qui prestigiis quibusdam fidem sibi concilians breui tempore non paruam mulierum uirorumque plebem ad se traxit, quos nudos incedere iubens Adamitas uocauit. et occupata insula quadam, amne Lusmicio cincta, filium Dei se dixit et Adam uocari. connubia eis promiscua fuere, nephas tamen iniussu Adam mulierem cognoscere; sed ut quisque libidine incensus in aliquam exarsit, eam manu prehendit et adiens principem 'In hanc' inquit 'spiritus meus exarsit'. cui princeps respondit 'Ite, *crescite et multiplicamini, et replete terram.*' aiebat ceteros homines seruos esse, se uero et qui ex eis nascerentur liberos. *W II,168* Mos fuit, ut nudi incederent Adamiteque uocarentur. his nihil proprii fuit neque certe uxores erant. in communi uictum habebant unumque principem, quem uocauerunt Adam. si quis libidine incensus in quampiam fuit, apprehensa muliere, flexo genu, ante principem stetit et 'In hanc' inquit 'spiritus meus exarsit'. quibus Adam 'Ite' ait '*crescite et multiplicamini, et replete terram.*' at hi, cum aliis hereticis non consonarent, breui tempore deleti sunt. *HB 84F* (Adamite) qui nostra tempestate apud Bohemos emersere, communionem rerum omnium nuditateque gaudentes, quos breui deletos constat.

Thaboritarum HB 120F Thaboritarum et Orphanorum milia, homines nigri ad solem et uentum indurati, aspectu tetri atque horribiles, ut qui circa fumum in castris uixissent, aquilinis oculis, impexo crine, promissa barba, corporibus proceris, membris hispidis, cute adeo dura, ut ferrum quasi lorica repulsura uideretur. *ib. 109A* Thaborite appellabantur, tanquam cum tribus apostolis Saluatoris Christi transfigurationem in monte uidissent indeque suas opiniones mutuati essent, quas fidei ueritates appellant. *W III,23 (Thaborite)* rusticorum et incompositum uulgus, quamuis urbani uideri uelint. ex illis alii nudi erant, solis tecti camisiis, alii pelliceas tunicas induerant; alii sella carebant, alii freno, alii calcaribus, alteri crus ocreatum fuit, alteri nudum. huic oculus defuit, illi manus. in exteriori ciuitatis porta duo fuerunt scuta: in altero pictura erat angeli calicem tenentis, quasi communionem sub specie uini suaderet populo, in altero Zischa pictus fuit. *cf. ib. I.1,530.*

Zyska W III,23 Zischa, homo senex et utroque lumine cassus. hic olim dux Thaboritarum fuerat et alterum oculum in pueritia perdiderat, alterum hostili sagitta confossus amisit. cum morti proximus esset consultarentque Thaborite, quem post se principem designaret, 'Postquam' inquit 'animus a me fugerit, excoriate corpus meum et carnes date uolucris; ex corio uero tympanum facite atque hoc in prelium duces habete; nam quouis locorum Theutones sonum eius audierint, mox terga dabunt, Ziscam in tympano formidantes. hic postquam obiit, Thaboritarum alii Procopium sibi duces legerunt, alii in tantum illius memoriam dilexerunt, ut neminem dignum existimarent, qui tanto duci succederet, aspernatique principem Orphanos sese uocabant.

Procopius HB 117C In unum cuncti Procopium defigere lumina, illum esse, qui totiens fidelium fugasset exercitus, qui tot oppida subuertisset, tot hominum milia

⁴¹⁷⁶ connubia: sicut apud Massagetas, teste Herodoto 1,216. ⁴¹⁷⁹ concaluit: cf. Ps. 38,4. *crescite* = Gen. 1,28. ⁴¹⁹⁴ transfigurationem: Mt. 17,2; Mc. 9,3; Lc. 9,28.

4215 neci dedisset, quem sui pariter atque hostes metuerent, inuictum ducem, audacem, intrepidum, neque labore neque timore superandum. *W II,180* Procopius Rasmus, cuius nomen ingentia facinora illustrauerant, qui, quamuis sacerdotio fungeretur, laicali tamen habitu bellis intererat, dux in exercitu terribilis fortunatusque, diuini sacramenti temerarius celebrator. uxore simul et presbyterio fungebatur. uestibus utebatur exterius grossioribus, interius nobilissimas pelles subduxit. statura mediocri fuit, oculis grandioribus, aspectu terrifico, robusto corpore, subnigra facie. in 4220 hunc oculi omnium fixi erant, quando urbem perambulauit, monstrantesque illum digitis 'Hic est' inquiebant 'Hussitarum rector, hic Bohemie flagellum, terror Alamanie; hic est, qui sacerdotes quamplurimos emasculauit, qui pregnantes feminas exinterauit, nobilitatis et religionis hostis acerrimus'.

4225 *Ioannes W II,165* Ioannes Hus atque Hieronymus cum de fide catholica pessime sentirent multosque seminarent errores, quamuis cesaris apices haberent, quibus tutos sese iudicabant, intercepti sunt atque igne cremati. quorum cineres discipuli furati clanculum in Bohemiam retulerunt et usque in hanc diem plerique sacros habent. *Germ. 16,6 (Synodus Constantiensis)* Ioannem et Hieronimum, 4230 Hussitarum uesanie principes, igne cremauit. *ib. 118,47* Cum Hieronymus et Ioannes, heresiarche Bohemorum, inter suos articulos dicerent non esse de necessitate salutis credere romanam ecclesiam super omnes alias habere primatum, id erroneum esse concilium declarauit.

4235 *Iacobellus Comm. 458,34* Iacobellum quendam, grammatici ludi magistrum, eius erroris (*communione utriusque speciei*) fuisse repertorem. qui cum legisset apud Ioannem '*Nisi manducaueritis carnem filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis uitam in uobis*', 'Quid agimus?' inquit; 'illudunt sacerdotes nobis, *paradisi portas* claudunt; dum sanguinem nobis prohibent, soli *ad uitam ingredi uolunt*'. auditus est ab indoctis.

4240 *Coranda W III,36* Wenceslaus Coranda, uetus diaboli mancipium, qui sacramentum altaris solam esse figuram significationemque contendit.

4245 *Rokezana HB 114D* oppidum est pragensis ecclesie non longe a Pelzina, cui Rochezana est nomen. ex hoc loco puer obscuris parentibus censuque tenuissimo natus, Ioannes nomine, Pragam uenit, mendicatumque uictum querens grammaticam et dialecticam didicit. cum adoleuisset, nobilis cuiusdam pueri pedagogus factus est et, cum ualeret ingenio linguaque promptus esset, in collegio pauperum receptus auditor Iacobelli fuit, postremo presbyter ordinatus predicare uerbum Dei Pragensibus cepit, ex oppido, unde ortum habuit, Rochezane cognomen ducens. 4250 *W II,180* Ioannes Rochezana magna facundia, sed ingenio pessimo peditus. *HB 117C* Legatio (*Hussitarum*) trecentorum equitum Basileam missa, cuius principes fuere Gulielmus Coska, non tam equestri dignitate quam ecclesiarum direptione insignis, Procopius cognomento Rasmus, idem magnus multis uictoriis magnisque sceleribus nobilitatus, Ioannes Rochezana, pseudo Pragensium apostolus, Nicolaus Gallecus, Thaboritarum sacerdos, et Petrus Anglicus patria profugus ac solis elenchis in disputatione confidens. *W II,73* Pestifer Rokezana, tenebrarum filius,

⁴²²⁶ cesaris: Sigismundi. apices: litterae salui conductus. ⁴²³⁶ Nisi = Io. 6,54. ⁴²³⁸ paradisi portas: v. *Processionale Monasticum*, Dom. IV Quadragesimae (Laetare), Responsorium. ⁴²³⁹ ad uitam ingredi = Mt. 18,8; 19,17. ⁴²⁵⁵ tenebrarum: cf. 1 Thess. 5,5.

confessor diaboli et antichristi propheta. *Germ. 28,26* Baal, cuius locum Ioannes Rochezana et tenuit et tenet, hereticorum ductor et princeps. cf. *W II,101*.

Petrus W II,180 Petrus Anglicus uersipellis cauillator. cf. *ib. 186*.

Ladislaus W III,490 De rege Hungarie Ladislao audimus in dies non ingratas nouitates. crescit ille corpore et uirtute inconcussamque mentem gerit aduersus 4260 hereticos. donum Dei est. nunquam ille adolescens flecti potuit, quamuis magnopere tentatus, ut sub duplici specie communicaret neque missas hereticorum audire uult fugitque quantum potest Rochezanam. spero (*Aeneas*), si uixerit hic adolescens et uirilem etatem attigerit, regnum Bohemie reformabitur et ad unionem redibit ecclesiasticam; quod iam heretici reformidant (1.VI.1454). *ib. 197* 4265 Ex arbitrio perfidi et hominum qui uiuunt sceleratissimi, Rochezane, cuncta geruntur. Ladislaus enim rex Georgio (*Poggiebracio*) gubernatori potestatem regni in clericos laicosque concessit. is uero, quia communionis labem induit, Rochezane, quem maxime timet, nihil contradicit. temporalia solum curat, spiritualia Rochezane permittit. nunc omnis nobilitas omnisque plebs Georgio paret: hic 4270 princeps, hic caput habetur. inde malum ingens regno imminet et uicinis regionibus immensa calamitas, nisi rex Ladislaus cito Bohemiam ingrediatur rebusque modum adhibeat meliorem. quod futurum multi sperant. *HB 132D* Ioannes Huniades Hungariam rexit, Poggiebracius Bohemiam, Vlricus Austriam. penes hunc maior autoritas qui, regem in potestate habens, illis quoque imperare posse 4275 uidebatur.

Georgius HB 143B Constituta die, qua nouus rex Bohemie eligeretur, multi tractatus habiti. Carolus rex Francie, qui filiam Ladislao desponderat, regnum alteri ex filiis suis petere aut ei committi, cui filiam tradere non dedignaretur. Casimirus rex Polonie sororem defuncti regis sibi nuptam esse aiebat eique regnum deberi. 4280 pari ratione Gulielmus Saxonie dux utebatur, cui soror natu maior nupsisset. Fredericus imperator eiusdem regni ordinationem suam esse affirmabat, in qua feudi solemnia neglecta fuissent. nec sine spe Sigismundus et Albertus Austriae duces fuere, qui deficiente rege Bohemie sine uirili sobole ex Austria uocandum ueteri federe principem notant. Rochezana, uenenorum sator, crebris sermonibus 4285 usurpare aut regem sue professionis eligendum esse aut, si nemo tanto fastigio dignus uideretur, hebraico more iudices assumendos. ubi dies constituta illuxit, auditis legationibus, in conuentu procerum utilitate regni discussa Georgius Poggiebracius rex pronunciat, militie domique apprime clarus, cui ad res gerendas nec consilium nec etas deesset. ea res necati regis maxime suspicionem auxit.

situ HB 82F Bohemia in solo barbarico trans Danubium sita Germanie portio est, aquilonis flatibus tota ferme exposita. cuius ad orientem uergens latus Morauii obtinent et Slesitarum natio; septentrionem iidem Slesite ac Saxones, qui et Misnenses et Thuringi appellantur; ad occidentem Aduocatorum terra est Boioariorumque regio; meridionalem plagam cum Boioarii, tum Austriales habent, qui 4295 ripas Danubii utrasque accolunt nec alia Bohemie quam Theutonum terra

⁴²⁵⁶ antichristi: cf. 1 Io. 2,22. ⁴²⁶¹ donum Dei: Eccl. 3,13. ⁴²⁶³ Rochezanam: v. 971. ⁴²⁷⁸ filiam: Magdalenam v. 903; 1071. ⁴²⁸⁰⁻⁸¹ sororem, soror: v. 3311; 2888. ⁴²⁸⁷ hebraico: Iud. 17,6.

coniungitur. regionis longitudo latitudoque pene par; nam formam rotundam
 4300 ferunt, cuius diametrum trium dierum itinere expedito pateat. silua uniuersam
 claudit, quam Veteres Herciniam uocauerunt, cuius et greci scriptores et latini
 meminerunt. flumina que terram irrigant uniuersa in Albim exonerantur; hic in
 4305 montibus exoriens, qui Bohemiam Morauiamque disterminant, mediam fere
 prouinciam perlabitur, primum in occidentem, deinde in septentrionem uersus, ubi
 prouinciam relinquit.
 4310 *moribus HB 83C* Plebs toto regno bibula et uentri dedita superstitionumque
 sequax et auida nouitatum. quotiens cretense uinum caupones uenale proponunt,
 inuenies quamplures, qui iuramento adacti nunquam cellam uinariam egredientur
 nisi exhausto dolio. idem efficiunt in electis Italie uinis. qui paulo excellunt atque
 4315 inter plebes nobilitatemque medii sunt, audaces, uersuti, ingenio uario, lingua
 precipiti, rapinarum auidi sunt, quibus nihil satis esse possit. nobilitas glorie
 appetens, belli perita, periculorum contemptrix, ac promissi tenax, quamuis eius
 ingluuiem explere difficillimum. at uniuersum simul si expendas populum, non est
 qui religioni aduersetur. sed profecto in omni gente, qualis rector, talem inuenies et
 populum.

4315

XXXV

119. PHRISONES ad oceanum siti ab orienti Saxoniam contingunt,
 ad meridiem Vestfalos, ad occidentem Traiectensium terre iunguntur,
 quamquam et ipsos Traiectenses plerique Phrisones esse uolunt, inter quos
 4320 Octonem inuenio, phrasingensis ecclesie presulem, qui res germanicas
 haud imperite conscripsit. Albertus episcopus maguntinus, qui fuldense*
 monasterium erexit, cum religionem Christi persuadere Phrisiis niteretur,
 ab eis interfectus et *martyrio coronatus* est.

fuldense Germ. 59,20 Preterimus opulentissima monasteria, in quis et monachi
 4325 ubertim aluntur et hospitalitas cuiusuis generis hominum magnifice obseruatur,
 scimusque nonnullos abbates adeo in Germania potentes esse, ut principatus
 honore fungantur, qualem et fuldensem et hersueldensem non est ambiguum.

Gens eadem ferox et armis exercitata, robusti et proceri corporis, securi
 atque intrepidi animi, liberam se esse gloriatur. quamuis Philippus
 4330 Burgundie princeps eius se terre dominum uocet, re uera libera Phrisia est,
 suis utens moribus, exteris nec parere sustinet neque dominari cupit. haud
 inuitus Phriso pro libertate mortem oppetit. dignitas in hac gente militaris
 [109^v] inuisa; sublimem uirum, qui se ceteris efferat, non ferunt. ma-
 gistratus annuos deligunt, qui rem publicam equo iure disponant. fe-
 4335 minarum impudicitiam seuerius puniunt. sacerdotes, ne aliena cubilia
 polluant, sine coniuge non facile admittunt; uix enim continere hominem

⁴³²⁰ Albertus: *lege* (S.) Bonifatius (martyr, 672-5.VI.754, interfectus apud pagum Dokkum in Frisia. fuit episcopus maguntinus a. 745). ⁴³²¹ erexit: a. 744. ⁴³²² martyrio = Ott.Fris. 253,8 (v. ad 1436). ⁴³³⁵ continere: de caelibatu cf. 5477; OO 570D; W II,184. ⁴³³⁹ Tacitus: Ann. 13,54; cf. (Aceneae) *Germ.* 65,28.

posse et super naturam arbitrantur. in pecoribus omnis eorum substantia
 est. ager planus ac palustris est, multo gramine fecundus. ligno caret;
 bituminoso cespite et sicco stercore boum ignes fouent.

Ex hac gente tradit Cornelius Tacitus imperante Nerone duos legatos
 4340 Romam uenisse, *Veritum ac Malorigem*, qui *Pompei theatrum* intrantes,
 cum uidissent *quosdam cultu externo* inter senatores sedere et in-
 tellexissent *id honoris earum gentium legatis dari, que uirtute et amicitia*
 4345 *romana precellerent, nullos mortalium aut armis aut fide ante Germanos*
esse exclamauerunt, ac digredientes inter patres consedere. ob quam rem
ambos Nero ciuitate donauit.

XXXVI

120. HOLLANDIA quoque prouincia Germanie a septentrione oceano
 alluitur mari; quod reliquum est Rheni* fluminis brachia intercipiunt
 insulamque* conficiunt. palustris <est>, pascuosa, pluribus stagnis ac
 4350 maris interfusa finibus. nec desunt, qui Traiectum nobilem urbem in
 Hollandia sitam dicant. nobis haud alienum esse uidetur aliquando Phrisie
 Traiectenses, aliquando Hollandie traditos esse, ut sepe regionum terminos
 4355 dominantium imperia mutant; nostra quidem etate neque Phrisie neque
 Hollandie dantur. principatus ecclesie traiectensis imperatori tantum
 subicitur latamque possidet terram diuersis Rheni meatibus interclusam,
 cui ab orienti Phrisii, [109^v] a meridie Vestfali iunguntur, Hollandia
 4360 septentrionem excipit, ab occidenti ducatus Gelrie, de quo suo loco
 dicemus, Rheno flumine disiungitur. imperitissime uero (ne dicam fal-
 sissime) nonnulli etate nostra Traiectum gallice nationis ciuitatem esse
 dixerunt, cum de pontificis ageretur electione; nam quo pacto Traiectum
 Gallie dabimus trans duo Rheni brachia situm, quando et qui cis Rhenum
 habitant, Colonienses Cliuensesque, constat esse Germanos? Traiecten-
 sium quippe situs, mos sermoque germanicus est.

Rheni W I.1,88 Rhenus inferioris Alamannie urbes excurrans et paludibus
 4365 exceptus Hollandie nomen prius amittit quam oceano misceatur.
insulamque Comm. 187,15 Insula Rheni duci (*cliuensi*) paret, quam Bataui
 quondam incoluerant, uiri bellicosi atque adeo robusti, ut armati Rhenum
 tranarent.

Traiectum* diues et populosa ciuitas est. episcopus urbis quadraginta
 4370 milia pugnatorum, si quando necessitas ingruit, educit ad bellum. forma

⁴³⁵⁸ dicemus: deest in hoc opere. v. *Germ.* 61,23; cf. 9316.

⁴³⁶⁶ Bataui: v. Tac. *H.* 15 sqq.